INSTITUTIONES
JURIS CANONICI

AUCTORE

THOMA MICHAELE SALSANO

ORD. PRAED.

EJUSDEM FACULTATIS PROFESSORE, IN REGIA STUDIORUM UNIVERSITATE COLLEGII THEOLOGORUM MAGISTRO, REGIO LIBRORUM REVISORE, CLERIQUE NEAPOLITANI EXAMINATORE, NECNON DIVERSARUM ACADEMIARUM SOCIO.

PRIMA EDITIO LATINA

POST QUARTAM ITALICAM.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA XAVERII JORDANI
Prope Ecclesiam S. Dominici Majoris sub num. 15.
MDCCCXLII.

Nulli Sacerdotum liceat sacros Canones ignorare.
COELEST. I. *epist. III. cap.* 1.

Sciant Sacerdotes Scripturas Sanctas, et canones meditentur.
CONC. TOLET. IV. *can.* 25.

AD LECTORES

MONITUM

MIRABITUR fortasse quispiam, quid rei sit, quod post quartam JURIS CANONICI Editionem, italico idiomate confectam, nunc primum eadem latine conscripta in medium prosilierit. Verum mirari is procul dubio desinet, ubi noverit, me gravi de causa id consilii suscepisse. Cum enim Antistites nonnulli latinam exposcerent Editionem, cumque Ordinis nostri alumnis hujusce facultatis studia summopere a Moderatoribus nostris commendentur, operae me pretium facturum putavi, si quae omnia fusiori calamo superioribus Editionibus conscripta reperiebantur, ea, in compendium veluti redacta, latino sermone exhiberem. Hinc profecto factum est, ut Regiis rescriptis, ceterisque ministerialibus dispositionibus omissis, novam hanc Editionem, solo textu concordatisque retentis, plane adornaverim. Ne vero Professorum utilitati defuisse videar, pari tempore quintam Italicam Editionem, in qua tum juris communis, tum peculiares Regni dispositiones prae oculis haberent, exarare non destiti.

Hoc unum, ut moneamus, superest, Italicam Editionem, cujus est veluti sinopsis et compendium haec latina, non modo publicae Istructionis nostrae, *sed* Romanorum *etiam* Censorum, *ut ex infrascriptis patet* (a), *judicio comprobari. Quo proinde factum puto, ut nemini timor, religioque in ea legenda inuratur, nullaque oblatranti Aristarcho exhibeatur occasio. Valete.*

(a) Nos infrascripti, Reverendissimi Patris Dominici Buttaoni Sacri Palatii Apostolici Magistri jussibus obsequentes, opus, cui titulus *Lezioni di diritto canonico pubblico e privato considerato in se stesso, e secondo l'attual polizia del regno delle Due Sicilie*, a clarissimo viro P. Thoma Michaele Vincentio Salzano Ordinis Praedicatorum Neapoli editum, *legimus atque accurate perpendimus*, nihilque prorsus in eo deprehendimus, quod vel catholicae fidei, vel morum doctrinae adversetur. In quorum fidem has dedimus litteras manu nostra subscriptas. Romae III. Idus Octobris Anno MDCCCXLII.

JOSEPHUS MARIA GRAZIOSI, THEOLOGIAE DOGM. IN SEM. ROMANO ET COLLEGIO URBANO PROFESSOR.

ANNIBAL CAPALTI IN ROMANO ARCHIGYMNASIO JURIS CANONICI PROFESSOR.

DE ORTU ET PROGRESSU
JURIS CANONICI

EXERCITATIO ISAGOGICA

CAPUT I.

DE JURE CANONICO IN GENERE, EJUSQUE FONTIBUS.

I. Novam formam cum dederit Christus veteri Ecclesiae, quae ab Adam et Moyse ad ipsum usque extiterat, tum per se inter mortales versatus, tum per Apostolos, quos institutae Societatis administros elegerat, eorumque caput Petrum, primos fideles edocuit, Religionis mysteria imbuit, divina praecepta, et morum regulas, convenientemque nascentis gregis primordiis disciplinam praescripsit.

II. Apostoli vero in erudiendis populis constanter eam rationem tenuere, quam a Christo acceperant, qui magnum interesse voluit discrimen inter fidei capita, et disciplinae institutiones; illam enim stabilem, perennem, et intactam servandam esse decrevit, dum alteram Ecclesiae gubernatoribus, si id in publicum comodum cadere judicassent, variare permisit.

III. Ad hoc igitur divinum praeceptum se conformantes Apostoli eorumque successores, depositum revelatae doctrinae sartum tectumque servarunt, et, sibi collata a supremo legislatore potestate usi, eas disciplinae leges tulerunt, quas tempori, loco, et hominibus, cum quibus agebant, expedire putarunt.

IV. Dogmata fidei, et reliquae divinae leges partim continentur in divinis libris, partim in sacra traditione comprehenduntur. Veteris, novique foederis librorum numerus atque divinitas stabilita est, et totius Ecclesiae catholicae consensione probata, ita ut nec plures, nec pauciores sint, quam index in Tridentino Concilio descriptus exhibeat.

V. Traditio vero, cum eam doctrinae partem, ac Christi instituta complectatur, quae clare et distincte divinis litteris non fuerunt consignata, colligitur ex actis Conciliorum generalium, aliorumque synodorum, necnon Romanorum Pontificum decretis, sanctorum Patrum scriptis, aliisque antiquitatis monumentis, quae si aliquem fidei articulum, vel praescriptum, aut ritum perpetuo et universaliter Christo attribuant, ab eo profectum esse certa res est. Non enim evenire potest tot viros pietate, doctrina, et dignitate praestantes, diversae aetatis, ac gentis in memorabili alicuius facti testimonio prorsus conspirare, nisi veritatem ducem sequerentur.

VI. Divinis litteris et traditioni insistentes Ecclesiae Patres, Romanique praesertim Pontifices, erroribus, atque commentis novantium hominum fortiter restiterunt, ad quos repellendos, damnandosque ex una vel pluribus Provinciis, ac etiam ex toto Christiano orbe, quando rei gravitas postulabat, in unum convenere. Hinc opinionum novitas repudiata; hinc confirmata, et declarata vetustas, in fidei, morumque negotio perpetua veritatis comes; nec enim alios fidei articulos profiteri, vel morum praecepta tenere licet quam illa quae a divino Institutore accepimus. In hisce Episcoporum Conciliis non solum de fide deliberatum est, verum etiam, quae ad disciplinam spe-

clant, decreta fuere, et hujusmodi Sanctiones, quae normam, et regulam credendi ac vivendi praescribunt, *Canones* appellatae: hinc ea scientia, quae canones prosequitur et explicat *Jus Canonicum* nuncupatur. *Jus*, quia quod justum est, declarat; *canonicum*, *canon* enim graece, latine *regulam* significat, quia, ut Isidorus advertit, ad agendum recte ducit, et pravum, distortumque corrigit.

VII. Et quia omnis scientia suum veluti principium primum habere debet, suosque fontes, ex quibus certas firmasque conclusiones educit, hinc, quid sit Canonici juris principium primum, quinam vero fontes aperiamus oportet. Principii loco statuimus illud: *de jure sacro eiusque partibus convenienter divinae fidei disserere*: fontes autem hi sunt, nempe:

1. *Traditio*, cui accedit *consuetudo*, et similium casuum observantia, quae *praejudicium*, modo ut recte intelligas, etiam nuncupatur.

2. *Sacra Scriptura* tam veteris, quam novi testamenti juxta canonem a Tridentino exaratum, dummodo ex veteri testamento judicialia, et caeremonialia praecepta excipias.

3. Romanorum Pontificum constitutiones, quae si edantur in Conciliis, dicuntur *Canones*: si cognita partium causa fiant, *Decreta*: si motu proprio promulgentur, *Edicta*: si ad praecedentem consultationem scripto remittantur, *Epistolae decretales*, quibus accedunt *Rescripta*, quando supplicantium causa aliquid fieri jubetur. Insuper constitutiones ipsae dicuntur *Dogmaticae*, sive *dogmata*, si fidem respiciunt; *Mandata*, si mores; *Interdicta*, si quidquam fieri vetant, *Sanctiones* si poenam in transgressores statuunt: sed de his, aliisque coram fusius.

4. Concilia, quae et *Universalia*, seu *Oecumenica*, et *Nationalia*, nec non *Provincialia*, et *Dioecesana* esse possunt; in priori casu fidem in universam faciunt Ecclesiam, dummodo legitima convocatio, celebratio, et confirmatio adsit; in aliis vero casibus auctoritatem habent peculiarem sive in Provincia, sive in Diœcesi in iis, quae ad disciplinam pertinent, modo a Pontifice Summo sint approbata.

5. Unanimis consensus Patrum, juxta Tridentini decretum, maxima pollet auctoritate; legis autem obtinet vigorem, si eorum sententiae, utpote rectores Ecclesiae, cui praeerant in vim legis concoeptae fuerint, aut auctoritate Summi Pontificis in vim legis assumptae, aut inter Canones Conciliorum numeratae, et in publicum Canonum codicem fuerint inscriptae.

6. His fontibus accedit Doctorum, sacrique juris interpretum auctoritas, quibus, si vere comuniterque in aliqua re consenserint, refragari, temerarium censet disertissimus Canus: (*lib. 8. De locis Theologicis*) *in Canonum interpretatione*, inquit ille, *Ecclesiae judices et administri concordem omnium juris consultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, et non communi omnium jurisperitorum duceretur, sine dubio suo illum iudicio Ecclesia coerceret.*

7. Accedit etiam rationis et Philosophiae usus, quae nexum inter conclusiones et principia vestigare possit, et invenire ipsa principia conclusionibus apta, et quasi faecunda; in quorum prima attendendum est ex Tullio, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamur, quod vitium effugere qui volet, adhibebit ad considerandas res et tempus, et diligentiam; in altera vero curandum, ne ra-

tio revelatione seposita plus quam par sit vagetur, sed sicut Hieronymus ait, prudentiae suae innixa ea quae sibi agenda vel dicenda videntur Patrum decretis proponat, ut Canonum statuta custodiantur ab omnibus, et nemo in actionibus vel judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur (*C. 1. et 5. de constitut.*).

8. Maximi etiam faciendae sunt Principum constitutiones, quae Canones, atque Ecclesiae leges politica etiam auctoritate promulgant, atque sanctione pœnali corroborant. Hujusmodi constitutionum insignia, et exempla habentur innumera in codice Teodosiano, in Justinianeo, atque in Regum Francorum Capitularibus. Quamvis enim potestas a Christo Ecclesiae concessa in genere suo summa sit, et independens, attamen, teste Lucio Papa III., sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et Sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adjuvantur. Verum, ut rite animadvertit Devoti (*in inst. Can. Proleg. C. III. p. 46.*) *haec omnia non suo jure pertinent ad Canonicam jurisprudentiam, quae tota propria est Ecclesiae, sed tantum legem faciunt, quoniam a Romanis Pontificibus sui juris corpore comprehensae et propositae sunt, ut legis loco essent.* Atque haec raptim praelibasse sufficiat. Restant pacta Conventa, quae inter utramque potestatem intercedunt, quaeque vulgo dicuntur *Concordata*; sed de his utpote quia non adnumerantur inter fontes juris Canonici, sed potius locum quemdam extraneum constituunt, suus erit dicendi locus in capite sequenti, ubi de collectionibus juris Canonici sermo erit.

CAPUT II.

DE COLLECTIONIBUS JURIS CANONICI, AC PRIMUM DE ORIENTALIBUS.

I. Quoniam leges, quibus Christi Communio gubernatur, vere Leges sunt sanctione pollentes, eas in unum corpus concludi oportuit, ut et unusquisque eas animo comprehensas haberet, et ut in dijudicandis controversiis facile essent in promptu. Hac de causa variae Graecis, Latinisque fuerunt Canonum Collectiones, quarum praecipuas breviter perstringere necessarium duco, cum illarum plena cognitio maximum adjumentum afferat iis, qui ad sacram Jurisprudentiam capessendam sedulam intendunt operam navare.

II. A Graecis collectionibus exordium capiens, ea caeteris antiquior videtur, quae Apostolicorum Canonum nomen praesefert: de quorum numero, auctoritate, et auctoribus ambigunt eruditi. Canones dicti Apostolici ignoti erant Latinis ante Dionysii aetatem, qui, quinto saeculo desinente, plures canones in unum volumen complexus quinquaginta Apostolicos canones ex Graeco in latinum idioma translatos intexuit. Verum ante Dionysii aetatem quinquaginta canonibus Apostolicis alii triginta quinque fuerunt a Graecis adjecti, ita ut apud ipsos etiam Dionysii tempore octuagintaquinque, vulgo, constanterque numerabantur. De his omnes conveniunt.

III. Ad Auctorem quod spectat, quidam opinantur ab Apostolis fuisse rogatos; in quo a veritate longe recedunt, tum quia nullus priscorum Patrum inter divinos libros eos referat, tum quia canone 46 et 47 ac 68 irritum habetur baptisma ab haereticis collatum;

iisque proinde usi essent Africani Patres adversus Stephanum Pontificem, qui haereticorum baptisma probavit; denique cum canone 7. prohibeatur celebrari Pascha luna quartadecima Martii quamcumque in diem incideret, certe tantam auctoritatem proferret Victor, qui quod apud Hebraeos vigebat, lata lege apud Christianos prohibuit. Perspicuum est igitur, istos Canones ab aliis quam ab Apostolis fuisse sancitos.

IV. Quamquam autem nec Apostolis, nec Clementi isti Canones adscribi debeant, tamen etiam Joannis Dallaei opinio, qui eos dimidio quinto Ecclesiae saeculo confictos affirmat, rejicienda omnino est. Censent Eruditi Canones Apostolicos exhibere varia disciplinae capita trium priorum Ecclesiae sæculorum, et collectos esse ex Conciliis per eam aetatem passim habitis, atque quartum ante saeculum in unum congestos Codicem, ad quem in sancienda disciplina Patres quarto saeculo antiquiores tuto possent sese referre. Quae quidem opinio a veritate non abest. Nam Alexander in Alexandrina Ecclesia Praesul, vix celebrato Nicaeno Concilio fato functus, meminit canonis cujusdam Apostolici, qui in Collectione numerum obtinet decimumtertium, prohibens ne Clerici ab uno Episcopo a communione fidelium ejecti ab alio Antistite reciperentur. Etiam Constantinus Imperator in Epistola ad Eusebium Caesariensem, et Niceni Patres indigitant quartumdecimum inter Apostolicos canonem, quo migrationes Episcoporum ex una in aliam Sedem vetabantur. Imo et ipsimet Niceni Patres canone secundo dolent ab aliquibus frangi Ecclesiasticum canonem praecipientem ut ad Episcopi vel Sacerdotis dignitatem non vocentur ii, qui nuper sunt initiati baptismo: porro hoc ipsum canone Apostolico 80 cautum erat.

Praeterea, ad Apostolicos Canones respexisse videtur Athanasius, scribens *ad ubique orthodoxos*, facile colligitur ex causa, quae ipsum ad scribendum movit. Georgius enim a Praefecto Ægypti emerat Sedem Alexandrinam, Athanasium vero nullo legitimo judicio condemnatum ejecerat; quare tripliciter peccaverat Georgius, et triplex hoc crimen Canonibus Apostolicis 29, 30, 74, damnatur. Denique antiquos Canones a Basilio magno ad Anfilochium adductos non differre ab Apostolicis apparet primo ex canone tertio, qui statuit Diaconum incontinentiae reum a summo gradu amovendum, quam poenam etiam vigesimus quintus Apostolicus constituit. Arcet illum Basilius suo canone duodecimo ab omni sacro officio: Bigamos, ait canon, inquit ille, a ministerio escludi: et per hunc canonem significari decimum septimum Apostolicum videtur indubium, quia nullus alius Canon Basilio antiquior adduci potest qui Bigamis omnem sacram functionem interdicat. Noverant ergo Patres quarti sæculi quamdam Canonum collectionem, eaque diversa non erat ab illa quam nos Canones Apostolicos appellamus.

V. Quod si ad materiam ipsam, quam Canones illi pertractant animum adieceris, ipsos sancitos esse in Conciliis, primis tribus sæculis habitis, meridiana luce clarius apparebit. Nonnulla, majoris explicationis ergo, exempla in medium proferam. Canone octavo statuitur, ne dies Paschatis luna quarta decima Martii cum Judaeis agatur, idque in pluribus Conciliis secundo saeculo desinente statutum fuisse memoriae prodidit Eusebius (*lib. 5 cap. 23*). Canones septimus, et octuagesimus primus Apostolici praescribunt, ut sacri ministri sese abstineant a publicis administrationibus civilibus, quod a majoribus suis decretum esse scri-

bit Cyprianus Epistola sexagesimasexta. Demum, ne longior sim, in Canone quinquagesimosecundo lapsis Poenitentibus venia datur, quod Cyprianus Epistola quinquagesimasecunda, et Romana Synodus deliberaverant.

VI. Ex his igitur patet, saltem aliqua ex parte, Canones Apostolicos ex priscis Conciliis, veterumque decretis depromptos esse, quamquis nil certi, exploratique definiri possit de singulis canonibus circa locum, et tempus, quo editi fuere. Valde autem probabile est non simul omnes octuaginta quinque Canones in unum comprehensos fuisse, sed tractu temporis, quod quidem, ex quo nullus ordo teneatur, canonesque eamdem materiam attingentes a se mutuo separentur, maximopere colligitur. Fallitur igitur Petrus de Marca (*Lib.3 Cap. 2 de Concordia Sacerdotii et Imperii*), dum dicit hanc collectionem prodiisse anno 258, quo Iliconiense Concilium habitum fuit; si hoc intelligat de integra istiusmodi Canonum collectione jure hoc negat Bevcregius in Codice primitivae Ecclesiae illustrato. Isti Canones, ex quo collecti fuerunt, nuncupati sunt Ecclesiastici et Apostolici: Ecclesiastici, inquam, quia ab Ecclesiae Conciliis desumpti sunt: Apostolici autem, vel quia rogati a viris Apostolicis, vel quia ab iis, qui traditionem Apostolicam sequi gloriabantur, exarati.

VII. Praecipuum autem Dallaei argumentum petitum ex Gelasii sanctione, in qua Apostolici Canones apocryphi dicuntur, nullius roboris est. Non enim Gelasius eos apocryphos dixit, quia commentitii essent, sed quia nonnulli errores illis Canonibus inerant, illos ab Apostolis profectos non esse notavit, quo sensu Tertulliani, Eusebii, Arianorum scripta quaedam no-

minavit apocrypha — Ceterum viri Eruditi, et inter hos Ballerinii Fratres in Appendic. ad Opera S. Leonis M., non a Gelasio, sed ab Ormisda Pontifice nostros canones censura perstrictos fuisse rectius probant.

VIII. Altera Graecis fuit Collectio sua antiquitate, et auctoritate insignis. Hanc magna ex parte latine vertit Dionysius, et integram graece ac latine a se vulgatam ostendit Christophorus Justellus, Parisiis 1610, qui et immerito illam inscripsit: *Codex Canonum Ecclesiae universae*, de quo videte Ballerinios. Eamdem Henricus Justellus primo volumini juris Canonici veteris inseruit. Primo loco describuntur viginti Canones Nicaeni caeteris praemissi ob tanti Concilii celebritatem, quos secundum numerorum ordinem sequuntur 24 Ancyranos, 14 Neocaesarienses, 20 Gangrenses, 24 Antiochenos, 59 Laodicenos, et Constantinopolitanos 3.

IX. Ætas, et Auctor huius Collectionis est incertus. Putant Eruditi hanc collectionem post Nicaeni Concilii tempus breviorem prodiisse, complexam solos Canones Nicaenos, Ancyranos, Neocaesarienses, et Gangrenses, deinceps autem alios.

X. Circa dimidium sexti sæculi Joannes cognomento Scholasticus, quia ex schola, sive e coetu Advocatorum in Clerum adscriptus fuerat, codicis Graecae Ecclesiae Canones scripsit, et ad quinquaginta capita retulit, habita ratione materiei. In hac Collectione inseruit primus omnium sexaginta octo Basilii regulas ex ejus Epistolis magna ex parte depromptas. Anno 565. Joannes ipse electus Patriarcha Constantinopolitanus Nomocanonem primus omnium edidit divisum in quinquaginta titulos, in quibus citat eodem ordine, secundum quem in Collectione digesserat Canones, eisque

adnectit consonas leges ex Codice, et ex Novellis Justiniani desumptas. Exinde autem dictus fuit hujusmodi Codex Nomocanon, quia Canonum cum legibus comparationem praesefert.

XI. Aliae adjectiones graeco Codici factae sunt tempore Concilii Trullani, quando huius Concilii canones centum et duo prisco Codici adiecti fuere, quamvis Ecclesia Romana non omnes hos canones probaret, praesertim quos receptis moribus; ac praecedentibus Synodis adversos invenit. Adde et centumtriginta quatuor Africanos Canones, aliosque ex Synodo Constantinopolitano sub Nectario, et ex epistolis nonnullorum Graecorum Patrum excerptos. Demum Codici Graeco adiuncta sunt Nicaeni secundi Decreta cum Tarasii Epistola ad Hadrianum I.; quae omnia integram Graecam collectionem constituunt, quam splendide typis commisit Beveregius anno 1672.

XII. Saeculo nono Photius, vir acerrimi ingenii, et plurimae eruditionis, ex ordine Senatorio ad Sedem Constantinopolitanam evectus, canones Graeci codicis complexus est, et in quatuordecim titulos, et hos in capita distribuit. Hisce addidit Imperatorias leges ad rem sacram pertinentes in titulos ac capita divisas, atque Canonum titulis convenientes. Graeci suum fecerunt Photii opus, quod etiam Nomocanonem appellarunt, alteramque Juris Canonici partem constituere decreverunt. Photii elucubrationes Zonarae et Balsamonis commentariis illustratas edidit Justellus. Ante Nomocanonem Photius ipse collectionem evulgaverat, in qua post Apostolicos Canones refert Canones Conciliorum, quae generalia habentur a Graecis, inter quae recenset duo ab ipso habita, et a Latinis rejecta; omittit octavum generale, quod Photium a Throno Constan-

tinopolitano ejecerat; adjungit denique Canones particularium Synodorum, necnon nonnulla Sanctorum Patrum scripta.

XIII. Post Photium in colligendis, digerendisque Canonibus apud Graecos operam dederunt Zonaras, Theodorus, Balsamon, Aristenus, Constantinus Hermenopolus, Matthaeus Blastaris, Simeon Logotheta, Arsenius Monachus, de quorum laboribus praeter alios legite Albertum Fabricium in Bibliotheca Graeca.

CAPUT III.

DE COLLECTIONIBUS OCCIDENTALIBUS.

I. Hactenus de Graecis Collectionibus; venio nunc ad Latinas, quas quidem perspicuitatis ergo, in duas praecipuas epochas divido. Harum prima jus vetus constituit, eamque illae collectiones conficiunt, quae nunc antiquatae sunt; altera vero jus novum constituit, et constat ex collectionibus, quibus in scholis et in foro utimur, et complectitur illas ecclesiasticas leges, quae post illas editas collectiones prodiere.

II. Exordiamur a prima. Ante Dionysii Collectionem presto fuisse Latinis priscum Codicem, certa res est. Frequens enim Nicaenorum Canonum et Sardicensium usus, quos Latini simul junctos habebant, perspicuum facit extitisse hunc Codicem. Num adhuc Codex iste supersit, quidque autem contineat, disputant eruditi, et de hoc videte Ballerinios, qui etiam de duplici collectione, quae ante Dionysianam in usum erat apud Latinos, copiose addunt, quarum una appellatur Prisca, altera vero Isidoriana nuncupatur.

III. Quinto cadente saeculo Dionysius exiguus, na-

tione Scita, moribus Romanus, ut ait Cassiodorus (*Lib. 23 Divinarum Lectionum*), a Laurentio Romano Sacerdote rogatus, et Stephani Salonitati Episcopi gratia motus, quibus antiqua Romana Collectio ob perturbatum ordinem minus probabatur, novam perfecit, vertitque e Graeco canones. Quinquaginta Apostolicos Canones Dionysius suae Collectioni praemittit, quos consequuntur Nicaeni, Ancyrani, Neocaesarienses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni, et Constantinopolitani tres, deinde Chalcedonenses 27, ac demum Sardicentes 21, quos ex originali Latino edidit: hisce adjungit Africanos canones centumtrigintaocto. Haec est prima Dionysianae elucubrationis pars, quae plurimi aextimata fuit, praecipue a Juliano Sanctae Anastasiae Praesbytero, qui Dionysio persuasit decreta Pontificum colligere, idque executus est a Siricio incipiens usque ad Anastasium II.; non omnes tamen Decretales, nec omnium Pontificum, qui tunc sederunt, attulit.

IV. Dionysii collectio ob versionis praestantiam, et distinctum monumentorum ordinem vix prodiit, illico caeteris anteposita est, et a Romanis Pontificibus Joanne II, et Vigilio adhibita fuit. Immo ejus fama tam longe lateque in Africam, Galliam, Britanniam, Hispaniam, atque Germaniam perlata est, ut in usum ab omnibus habita, illarum nationum Collectores ex Dionysiano Codice Canones semper et ubique citarent. Dionysianae Collectionis exemplar tradidit Carolo Magno Adrianus I, et ab eo tempore Dionysii collectio Codex Canonum appellata fuit. Notant tamen Eruditi Adrianum Codicem plura comprehendisse monumenta, quam quae purus Dionysianus contineret. Legite Ballerinios de Collectionibus.

V. Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiae Diaconus, saeculo sexto collectionem suam elucubravit, cui titulus: *Breviatio canonum*. Canones ipsos secundum materiem 232 capitibus inclusit, singulisque capitibus canonum et Decretorum citationem subjecit, usus versione Dionysii antiquiore in Graecis recensendis, et in Africanis referedis Codice particulari.

VI. Cresconius Episcopus Africanus affert saeculo septimo prope cadente, totam Dionysii collectionem: 300 in titulos distribuit, et materiem secundum Conciliorum, et Pontificum Decreta hinc inde excerpta simul colligit, ratisque titulis supponit. Cresconii collectio constat duplici parte. Altera enim monumentorum indicem continet; altera canones, et Pontificias sanctiones comprehendit. De hoc opere notant Ballerinii, priorem partem prius repertam appellatam fuisse *Breviarium;* secundam vero *concordiam canonum*, quasi esset distinctum opus, cum revera unum idemque sit, ac inscriptum *Concordia Canonum.*

VII. Non defuerunt Hispanis pervetustae Collectiones, quae perierunt, et illa, quae superest, posterior est Dionysiana, atque in duas partes divisa; earum prima exhibet Conciliorum canones, exorditur a Nicaenis et in Calcedonensibus desinit; addit etiam Concilia Africana, Gallicana, et Hispanica. In altera vero parte leguntur Pontificum decreta a Damaso usque ad Gregorium Magnum pertingentia. In Hispaniis elaboratum hunc codicem non est dubium; illum autem a S. Isidoro sin minus compositum, saltem in ordinem digestum, verosimile est.

VIII. Martinus Bracharensis Episcopus, anno 572 octuagintaquatuor Canonum capitula composuit, atque in duos libros distribuit, in quorum primo con-

clusit quae spectant ad sacros ministros, in altero vero prosequitur, quae ad Laicos attinent: nulla antiqua versione usus ad Graecum textum cuncta refert; plerumque ad litteram Graecum minime reddit, sed explicat, et dum Graeca aptare studet Hispanicis moribus, interdum a vero recedit.

IX. Gallias non caruisse codicibus canonum, quibus Antistites uterentur in regendo populo ostendunt Constantius, et Ballerinii Fratres, qui plures Gallicanos Codices proferunt, ac perpendunt. Pauca dicam de Regum Francorum Capitularibus. *Capitularia* sunt Leges ad Ecclesiasticam, civilemque rem pertinentes, a Regibus Francicis editae in Comitiis Antistitum, et Procerum Regni. Ansegisus Abbas Lobiensis, postea Fontellarensis Monasterii, circa annum 827 quatuor in libros congessit Capitularia Caroli Magni, et Ludovici Pii. Quintum, sextum, et septimum adjecit Benedictus Moguntinensis Levita, qui Capitularia ab Ansegiso omissa, et ad Carolum Magnum et Ludovicum, aliaque ad Pipinum, et Carolum Mannum pertinentia compilavit anno 845, inseruitque aliqua divinarum Scripturarum, sanctorumque Patrum dicta, nonnulla etiam deprompsit ex Teodosii Codice, ex Epitome Juliani, ac Novellis Justiniani, ex Pauli sententiis, et Legibus Visigothorum, atque ex monumentis in scrinio Moguntinensis Ecclesiae a Riculpho repositis, et ab Auctario ejus successore repertis, quibus postremis verbis indicat Benedictus, ex nonnullorum sententia, falsas Isidori Mercatoris merces ab eo extractas. Ballutius edidit Capitularia anno 1677, notisque illustravit.

X. Postquam in universum Occidentem magnam auctoritatem obtinuerat Dionysii elucubratio, erupit Isi-

dori Mercatoris collectio, quae olim magnum nomen obtinuit. Investigandus ejus Auctor, tempus indicandum, de materie quam continet, et de ejus auctoritate agendum. Isidoro Hispalensi ab aliquibus attributa fuit haec collectio, quam sane non elaborarit, ex eo vel maxime eruitur, quod ibi memorentur Toletanum sextum, et sequentia Concilia, usque ad tertium decimum, necnon Bracharense, quae omnia habita sunt post mortem Isidori; similiter, vivo Isidoro, habitum nondum fuerat Concilium OEcumenicum VI, cujus in Praefatione mentio est. Imo ne ex Hispaniis quidem in Gallias delatas fuisse Isidori merces verisimile est. Qui enim eas finxit, utitur verbis, quae tunc non Hispanis sed Gallis, Germanisque erant usitata; quis praeterea crediderit, Hispanum fuisse collectorem, et vix unam aut alteram ex multis quas refert voluisse Episcopis Hispanis inscribere Pontificias litteras? Si in re tam dubia aliquid conjectari licet, probabile videtur, cum ad Riculphum Moguntinum nonnulli ex Hispaniis perfugerint, forte Codicem veterem Hispanicam collectionem exhibentem largiti sint; indeque Benedictus Levita opportunitatem nactus sit fabricandi Isidorianam commentitiam compilationem, cui ad addendam fidem anno 845 capitularia edidit, quibus inseruit aliquas ementitas Decretales sine Pontificum nomine; deinde altero anno collectionem publicavit, et ut confidenter Lectores falleret, veteribus Pontificibus inscripsit monumenta in Capitularibus allata, postea commentus est quaedam Hadriani I. Capitula ad Angilramnum, in quibus plura Isidorianae collectionis documenta leguntur. Haec Hadriani Capitularia esse omnino ficta demonstant Ballerinii. Quare cum Isidorianae Collectioni insint quaedam sen-

tentiae Concilii Parisiensis anno 829, et fragmenta cujusdam epistolae ad Carolum Calvum, qui Regno potitus est anno 839, nec Rabanus in suo Poenitentiali anni 841 umquam citet Isidori Collectionem, patet hoc opus non tribuendum Riculpho Moguntino, mortuo anno 540, sed verisimiliter a Benedicto elaboratum Moguntiae, et evulgatum anno 846.

XI. Hactenus de auctore, modo de collectione dicamus. Referuntur primo 50. Apostolici canones ex Hadriani collectione deprompti; sequuntur Pontificiae literae a S. Clemente inchoatae usque ad Sylvestrum, sed omnes spuriae sunt, atque fictae. Has consequuntur Nicaenae Synodi, multorumque Conciliorum canones a Graecis, Afris, Gallis, Germanisque statuti; deinde Martini Bracharensis Capitula, quae omnia ex Hispanico Codice auctiore hausta sunt. Omnia secundum ordinem numerorum disposita sunt, collectionemque absolvunt Pontificum decreta, qui a Sylvestro usque ad Gregorium Magnum gubernarunt Ecclesiam. Legite Ballerinios.

XII. Collectio Isidori Mercatoris, ut habent prisci Codices, vel Peccatoris, ut quaedam manuscripta referunt, in Gallias inventa, suos habuit patronos, et adversarios. Haec Carisiaco Concilio anni 857 primum citata est, eaque usus Nicolaus Primus in epistola 47 ad Gallos. Restitit Hincmarus Remensis cum aliis, quibus Isidori monumenta minus probabantur, quod in veteri Gallicano Codice non legerentur. Verum Nicolaus facile huic ratiocinationi occurrebat, quia non omnia Pontificia decreta in prisco Codice continerentur. Sensim praevaluit Isidori Codex, et post annum 880 usque ad saeculum decimumquartum, Concilia, et Scriptores eum usurparunt, magnoque in praetio ha-

buerunt. Sed, praeter Hincmarum aliosque veteres, falsitatem monumentorum, quibus extruitur Isidoriana collectio, agnoverunt, atque indicarunt ex Catholicis Cardinalis Cusanus, Antonius Contius, Antonius Augustinus, Bellarminus, Baronius, Perronius, Cennius, de Marca, aliique. Ceterum, cum defensionem suscepisset adversus Centuriatores Magdeburgenses Franciscus Turrianus, e contra David Blondellus Librum edidit, cui titulus Pseudo-Isidorus, et Turrianum confutans, aperte falsitatis conjicit priscas illas Decretales, praesertim quas ante Siricium ex suo penu conflavit Isidorus ille Mercator.

XIII. Falsitatis notae praecipue hae sunt. Auctor Epistolarum circa aliquos Pontifices utitur auctoritate Hieronymi, qui post illos Pontifices vixit; pleraeque consulares notae Epistolis appositae referunt Consules, qui in fastis Consularibus numquam fuerunt descripti; vel si recensentur, cum aetate Pontificis, cui tribuitur epistola, non conveniunt; Magistratum ficta nomina; Arciflaminum, primorum flaminum, et voces Patriarcha, Archiepiscopus, Apocrisarius ab aetate et usu Pontificum longe abhorrent. Denique, ne omnia persequar, nullum priscorum morum indicium, plurima posterioris disciplinae in illis literis continentur. Hisce, aliisque de causis Eruditi non solum veteres falsas Pontificias literas, verum etiam multa alia monumenta ab Isidoro exscripta repudiant; dum autem abjiciunt suppositas Pontificibus epistolas, eas monent summopere colendas, quas suis in scriptis antiqui Auctores retulerunt.

XIV. Unum adhuc mihi restat, ut inquiram, quo fine Isidorus tot monumenta confinxerit. Scribit Auctor in sua Praefatione ad elucubrandam Collectionem ad-

junxisse animum, ut suppetias ferret Antistitibus, qui facile in judicio vocabantur, et in discrimen suae dignitatis incidebant: hinc statuit non posse Episcopos cogi ad dicendam causam, si cum sunt accusati, sint simul rebus suis expoliati, vel e gradu dejecti, nisi prius fuerint restituti; quare Apostolicae Sedis auctoritatem commendat, et ad illam confugendum, si injuriam se passos putent a Synodis, ibique causam retractandam, nec posse haberi Concilium Provinciae, nisi prius consulto Pontifice, et sine ejus cognitione neminem ab Episcopali gradu amovendum.

XV. Per Isidori collectionem inductam novam disciplinam, veteremque obliteratam, plerique conqueruntur, quorum animadversionem omnino improbandam censeo. Isidori opera repente novam disciplinam invectam non verisimile arbitror; si enim ea, quae per se utilia et optima sunt, sua novitate commovent animos, multo magis concitari debent, quando constituuntur ea, quae pervertunt consuetudines longo usu firmatas, sanctissimis legibus munitas, aliaque a moribus, et constitutionibus aliena inferuntur: nec enim credibile est nostrum veteratorem sperasse suam collectionem ab aliis recipi, si quae continebat, nova et inaudita omnino forent. Quare adnotat Petrus de Marca *de concordia Sacerdotii et Imperii Cap. 5.* Isidori Epistolas subarcinatas esse ex sententiis, et verbis legum, veterumque canonum, atque sanctorum Patrum, qui quarto et quinto saeculo in Moguntina praesertim regione floruerunt, unde Isidorianus Codex erupit. S. Bonifacius Moguntinus fundamenta ejus disciplinae jecerat, quam in judiciis, causisque Episcoporum adhibendam suadet Isidorus, eamque, quam Lullus, Riculphus, Autcarius retinuerant, firmari, ac propagari

conatus est Isidorus ipse, ementitis veterum Pontificum literis, aliisque documentis, in quibus, nihil falsi suspicantibus posteris, eadem disciplina latius fusa omnes regiones occupavit. Ceterum ea, quae Isidorus firmare nititur in sua Collectione, Pontifici Summo, quod alte tenendum est, pertinent ipso jure Primatus.

XVI. Celebris est Reginonis Abbatis Prumiensis Collectio, ex quà multa Burchardus et Ivo excerpserunt. Hanc collectionem elucubravit anno 906, atque in duos libros partitus est; quorum primus de personis, rebusque Ecclesiasticis tractat; alter vero de Laicis. Multa profert ex Conciliis, ex Pontificiis Legibus, ex veterum dictis, necnon ex Codice Theodosiano, ex Francorum Capitularibus, et Sanctionibus Ripuariorum, ac Burgundiorum: plerumque Dionysiana, et Hispanica collectione utitur, parce adhibet Isidorianam.

XVII. Burchardus Vormatiensis collectionem suam edidit, quae vulgo *decretum* appellatur. Grande volumen iste consarcinavit, et in viginti libros distribuit; unicuique peculiarem materiam addixit. Verba facit de Pontificio Primatu, atque de tota Hierarchia, de Sacramentis, de domibus sacris, de judiciis, de censuris, de Poenitentibus, et de aliis id genus. In proemio ait, se collegisse partim ex divinis scriptis, partim ex Patribus, et Institutis veterum quidquid ad rem suam facere duxit. Plurima peccavit Burchardus, tum quia secutus Isidorum, complura profert falsa monumenta, tum quia cum multa excerpserit ex Reginone, quidquid profert ipse ex Francorum Capitularibus, illud veteribus Pontificibus ac Patribus assignatur.

XVIII. Anselmus Lucanus, vel Lucensis tredecim libris persequitur eam prope materiam, quam explicat

Burchardus. Hanc collectionem Sancti Gregorii Septimi jussu scripsisse Anselmum, titulus Operis in Vaticano Codice exscriptus declarat. Exaravit et aliud opus *Apologeticum* nuncupatum, in quo omnem operam posuit in oppugnando Henricum IV., et in defendendo Gregorium.

XIX. Eodem saeculo undecimo Cardinalis Deusdedit duplex volumen perfecit, quorum unum appellatur *Collectio Canonum* Victori III dicatum; alterum de *Privilegiis Romanae Sedis* dictum, et in quatuor libris distinctum. De Pontificia Auctoritate, et de Regia Potestate pertractat, defenditque causam Sancti Gregorii Septimi, et Schismate, ac simonia infectos suis libris persequi testatur.

XX. Ivo in Bellovacensi agro natus, electusque Episcopus Carnotensis anno 1092, duplex opus vulgavit, quorum primum dictum fuit *decretum* Ivonis, alterum vero *Panormia* nuncupatum, quasi omnes vitae normas, atque Ecclesiasticae disciplinae regulas contineret. Panormiam in partes octo, decretum vero in 17 partitus est. In alterutro, praeter Canones, et Pontificum scita, plura ex Codice, Digestis, atque ex novellis Justiniani adducit, jus civile cum canonico conjungens, titulos explicat, in quos singulae partes sunt divisae. Censent Eruditi prius Panormiam ab Ivone conscriptam fuisse, quae cum plurimo in praetio foret, copiosiorem collectionem adlaborasse. In idem multiplex vitium incidit Ivo, quod incurrerat Burchardus, quia uterque non ex fontibus documenta hauserit, sed duxerit ex limosis rivulis. Sed de his fusius videte Ballerinios.

XXI. Hactenus de veteribus Juris Canonici collectionibus sermonem habui; restat modo illas perpendere, quae novum jus constituunt, ac in judiciis

adhibentur. Duas pariter in partes hoc jus dispercitur; prima constat ex Gratiani decreto; secunda componitur ex Decretalibus, jussu Romanorum Pontificum collectis, quaeque a recentioribus Jus novissimum nuncupatur.

XXII. Gratianus, ab Urbe Clusio in Hetruria originem ducens, et instituta Sancti Benedicti in Monasterio Sanctorum Felicis, et Naboris professus, non ante annum 1140 volumen exornavit, quod inscripsit: *Concordia disoordantium Canonum*. Eo nomine significavit propositum sibi fuisse, Canones rem eamdem spectantes, et inter se discrepantes, amico foedere conciliare. Trifariam partitus est opus. In prima centum et unam distinctionem inclusit, ibique varias Juris species, sacram Hierarchiam, coeterosque Ecclesiae Ministros enucleavit. Secundam habuerunt 36 causae, quibus materiam formamque judiciorum explicavit. In trigesima tertia causa sermonem instituit de poenitentia per septem distinctiones, idque ab eo factum, quod veteres impedirent nubere quos pubblice poenitere jubebant, et in eadem causa, quaestione tertia, hac nacta occasione, impedimenta matrimonii explanavit. Tertia pars quinque distinctionibus absolvitur, et omnia ea, quae ad sacras aedes, ad sacramenta, ad Ecclesiae caeremonias pertinent, prosecutus est.

XXIII. Cum Gratianus suum decretum subarcinaverit, collectiones Reginonis, Burchardi, Ivonis expilando, nec puros fontes attingendo, in anteriorum collectorum errata incurrit, quibus sua etiam addidit; quapropter plerasque supposititias Decretales ex Isidoro praesertim depromptas retulit, vera monumenta nec recte proposuit, nec suis auctoribus adscripsit; saepius in nominibus hominum, urbium, provinciarum, concilio-

rum, sanctorumque Patrum erravit; plurima ipsemet interpolavit, mutilavit, corrupit. Hac in re legendus est Antonii Augustini liber de emendatione Gratiani, et Sebastianus Berardi in Gratianum.

XXIV. Romani Pontifices Pius IV et S. Pius V, ad purgandam Gratiani elucubrationem, eruditos viros destinarunt, perfectaque res est Gregorii XIII jussu, et castigatum Gratianeum opus vulgatum fuit anno 1580. Multa adhuc tamen insunt emendatione digna, quae diligentiam Romanorum Correctorum effugerunt, et in hoc numero maxime habenda sunt Isidoris Mercatoris figmenta. Videte Berardum.

XXV. Inter canones a Gratiano recensitos, non pauci appellantur *Palea*; quid indicet hoc nomen Palea, investigant eruditi; quidam opinantur canones hac voce affectos non plurimum a Gratiano fieri, quod falsum esse comparanti simul canones notatos, et nota carentes facillime apparebit. Sentiunt alii hanc vocem palea esse nomen cujusdam viri sacrorum canonum Gratiani discipuli, qui huic plura monumenta dederit, eaque grati animi honorisque causa Gratianus ipse Palea appellaverit. Non desunt, qui velint, varios adnotasse decretum, et cum adnotationes ipsas cum littera *p* et *alias*, quasi praeter alios distinxerint, tractu temporis insertas accessiones Paleae voce fuisse distinctas. Quae quidem sententia verosimilior videtur.

XXVI. Quatuor modis citatur Gratiani decretum. Prima pars hoc pacto: can. si mulier distinct. 5, scilicet haec verba si mulier indicant principium canonis conclusi in distinctione quinta; secunda pars hoc modo: caus. 12 q. 2. can. placuit, idest causa duodecima, quaestione secunda, canone qui incipit, placuit. Tractatus de Poenitentia adjacent causae 33

et hoc pacto allegatur: canone multiplex, distinctione 1. de poenitentia. Tertia pars canone missarum distinct. 1. de Consecratione.

XXVII. De auctoritate Gratianei laboris, illud habetote: nullo Pontificio decreto unquam approbatum fuisse, multo tamen in proetio aestimandum, quia in scholis et in judiciis inductum est. Verum cum privati hominis sit labor, eidem non aliam auctoritatem afferri potuit, quam quae ab ipsis monumentis in eo relatis manat, et aextimatio, quam ex judiciorum, et scholarum usu profecta est, quantumcumque addiderit, semper in suo genere permanet. Audiatur Antonius Augustinus in epistola, quam Canonibus poenitentialibus praefixit: *est etiam delectus habendus, et ratio auctoritatis constituentium; in quo video multos juris Pontificii studiosos vehementer decipi, qui Gratiani collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant, cum tamen Gregorius IX Pontificia auctoritate usus omnibus in eo volumine Decretalibus contentis vim legis statuerit. Gratianus unius Magistri, et Monachi personam gerens, ea quae refert, non majori pollere potuit auctoritate, quam antea fuerant. Itaque necesse est adire fontes, unde emanarunt, ut certa ab incertis distinguamus* — Hactenus ille.

XXVIII. Antequam de Gregorii IX. collectione dicam, opus est collectiones recensere, quae huic veluti materiam pararunt. Bernardus, Papiensis Praepositus, deinde ad Faventinam sedem evocatus anno 1188, praeter plures antiquorum Conciliorum Canones, et quasdam Pontificias veteres Constitutiones, in unum corpus congessit, et in quinque libros divisit Pontificum decreta a Gregorio Magno ad Clementem III., ad-

ditis etiam constitutionibus in tertio generali Concilio Lateranensi, et in tertio Turonensi latis — Ejus opus inscribitur *Breviarium extravagantium*, quia continet constitutiones, quae vagantur extra Gratiani decretum.

XXIX. Eadem ratione Joannes Vallensis, post duodecim annos, Sanctiones collegit Alexandri III. Lucii III. Urbani III. Gregorii VIII. Clementis III., et Coelestini III. Ejus collectio quaedam etiam continet ex conciliis Gallicanis.

XXX. Tertia collectio est Bernardi Compostellani, quam adornavit ex rebus ab Innoc. III. pergestis in tribus prioribus istius Pontificatus annis, in qua tamen, cum aliqua in judiciis minus recoepta legerentur, eam refingere jussit Innocentius ipse. Publicam igitur auctoritatem anno 1210 huic collectioni opera Petri Beneventani confectae, Innocentius donavit, et comprehendit duodecim priores sui Pontificatus annos.

XXXI. Quartae collectionis auctor ignoratur; sed continet septuaginta et amplius statuta Concilii IV. Lateranensis ab eodem Innocentio III. celebrati, nec non Decretales quasdam, quas in postremis quinque annis ipse Innocentius edidit.

XXXII. Tancredus, Bononiensis Archidiaconus, quintam publicavit, quam ab Honorio III. acceperat, et exhibet ipsius Pontificis epistolas, cujus jussu fuerat elaborata. Quatuor priores, adnotationibus adjectis, vulgavit Antonius Augustinus, postrema vero ab Innocentio Cironio edita est.

XXXIII. Novi juris volumen secundum constituit collectio ex Gregorii IX. praescripto composita, et praecipue litteras complectitur Pontificum, qui ab anno 1150 usque ad annum 1230. Romanam Sedem guberna-

runt. In ea sunt quoque nonnulla relata ex Conciliis, aut Patribus, vel antiquis Pontificum decretis petita, quae Gratianus praetermiserat; principalem tamen locum occupant Lateranensis tertii, et quarti sanctiones. Ipsam condidit S. Raymundus de Pennafort ex ordine Praedicatorum, ejusque tertius Generalis Magister, Gregorii IX. Cappellanus, et Poenitentiarius. In ea collectione conficienda, summa libertate usus, plures decretales litteras, quasi superfluas ducens, vel quia in eadem materia cum iisdem adjunctis alias essent definitae, vel quia aliis adversabantur, penitus rejecit, quasdam etiam vel decurtavit, vel immutavit, ut cuncta suo tempori accomodaret. Quare ad plenam earumdem Constitutionum intelligentiam, oportet adire integras sanctiones, easque perspectas habere, quas publicavit Gonzalez.

XXXIV. Epistolae decretales, vel rescripta decretalia sunt Pontificum litterae, quibus ad varia quaesita respondent Episcopis, Judicibus, aliisque; vel de negotiis pertractant. Decretalium libri, qui habentur in Gregoriana Collectione sunt quinque. Eorum singuli suos titulos habent, et istis subsunt capita, quae, si paulo longiora fuerint, secta sunt in frusta, paragrafos appellata. Primus liber versat multiplex juris genus, judicumque species. Secundus modum praescribit civiles lites judicandi. Tertius, et quartus judiciorum civilium materiam exponunt, ita ut Clericorum negotia ad tertium librum, matrimonii causae ad quartum referantur. Criminalia demum judicia, eorumdemque tractandorum ratio, leguntur in quinto.

XXXV. Quinque Gregorii IX. libris sextus adjunctus est a Bonifacio VIII., anno 1300, collectionem procurantibus Villelmo Archiepiscopo Ebrunensi Fideli,

Praesule Beritensi, necnon Ricardo Romanae Ecclesiae Cancellario. Exhibet haec collectio Decretales a Pontificibus statutas, qui per annorum spatium quot a Gregorio IX. ad Bonifacium VIII. fluxerant, Ecclesiam gubernarunt; decreta etiam continet duplicis Generalis Concilii Lugdunensis, quorum primum sub Innocentio IV. anno 1245 celebratum fuit, alterum vero sub Gregorio X. anno 1274.

XXXVI. Clemens V., Gregorii et Bonifacii vestigia premens, collegit epistolas a se datas, et Concilii Viennensis anni 1311 constitutiones; hunc cum mors antevertisset, ejus successor Joannes XXII. anno 1317 Clementis elucubrationem publicavit, et ab ejus auctore nomen Clementinarum sanctionum haec collectio praesefert.

XXXVII. Joannes XXII. plura tulit statuta, quorum pars, scilicet viginta, in ordinem redacta fuit, et sub nomine Extravagantium Joannis XXII. corpori juris insertae; nec immerito ea nomenclatura donata fuerunt, quia extra juris corpus vagabantur, cum non essent in ordinem dispositae.

XXXVIII. Collectionem extremam constituunt extravagantes comunes, multasque Decretales a Bonifacio VIII. ad Sixtum IV. ab anno nempe 1297 ad annum 1483 haec collectio continet. Hujus distributio eadem est ac superiorum. Auctor illam partitur in libros et titulos, et tantum quatuor constat libris, cum de matrimonio nullus sermo instituatur. Collectio extravagantium Joannis XXII., et comunium a privatis auctoribus elaborata est, sed vim et robur ex probata consuetudine in judiciis obtinuit.

XXXIX. Decretalium libri Gregorii IX. per capitula, suosque titulos citantur; exempli gratia, *capitulo*

nisi essent, *de Praebendis*, idest ex Capitulo, quod inchoatur per verba nisi essent, et continetur in titulo de praebendis. Dum citatur sextus decretalium Bonifacii VIII., subjungitur in sesto; verbi gratia *cap. volentes de privilegiis in VI.* Clementinae laudantur per initium Decretalis, adjuncto titulo hoc pacto: *Clementina*, *gravis*, *de Sententia excommunicationis*, verbum gravis est initium Clementinae, voces de sententia excommunicationis titulum indicant. Idem est modus allegandi Extravagantes Joannis XXII., et communes, mutato nomine Clementinae in Extravagantem.

XL. Pontificias collectiones hactenus enumeratas suis non carere mendis adnotant Auctores gravissimi. In iis enim sunt descripta nonnulla commentitia monumenta ab Isidoro, aliisque incautis scriptoribus desumpta; quaedam vero mutila et interpolata referuntur, vel suis non adscribuntur Auctoribus, et aliquando alium in sensum explanantur, quam scriptoris verba significent. Non temere hac de causa incusandi Romani Pontifices, quasi scientes, videntesque collectiones sua auctoritate probantes, etiam collectorum vitia rata habere voluerint, ut facilius res suas praetexerent. Omnia enim sua jura in Ecclesia universali ratione primatus divino jure habentes non malo animo peccatum quam fidentissime credo, sed correctioni aliunde studentes juris corpus commendarunt, ut scholae forique comoditati servirent, cum in utriusque usum Gregorius, Bonifacius, ac Joannes XXII. eas collectiones comparatas esse Bononiensibus praeceptoribus declararint.

XLI. Enimvero ita perutiles, ac percommodae istiusmodi Collectiones visae sunt ad addiscendam illius aetatis, in qua exaratae fuerunt, jurisprudentiam,

et ad exercenda judicia, ut cuncta prope Licaea pervaserint, illasque in forum non modo Ecclesiasticum, verum etiam civile plurimae Nationes exceperint; nil igitur mirum si ex hac unanimi consensione collectionibus istis dignitatis multum accesserit. Cum autem decretales Constitutiones in corpore juris clausae multiplicis sint generis, aliae fidem, generalemque disciplinam attingentes in generalibus Conciliis fuerunt primo rogatae, aliae privata negotia, resque peculiares spectantes, seu potius particularia Pontificum responsa, quam leges generatim impositae, et quaedam etiam a Bonifacio VIII. in Regiam Majestatem statuta, et ab ipso mitigata, ejusque successoribus rescissa, quis non videt, quantum inter unam, aliamque Constitutionem intersit, quantumque locorum, temporum, circumstantiarum habenda sit ratio? Ad nostrates quod attinet, Romanorum Pontificum decretales collectionibus nuper expositis comprehensae, in scholis, et in foro receptae sunt, nisi juribus Majestatis, aut vetustis Regni moribus adversentur.

XLII. De novissimo Jure Canonico dicendum superest, quod constat ex bullis Romanorum Pontificum post confectas decretales editis, ex constitutionibus Conciliorum habitis post Viennense Concilium generale, ex Regulis Cancellariae, necnon ex pactis conventis inter utramque potestatem habitis, quae vulgo Concordata nuncupantur. Porro *Bullae* ab aureo, vel plumbeo sigillo, quod ipsis suspendi solet, prout vel gratiae sunt vel justitiae, appellantur. Aliae sunt *Concistoriales*, quae nimirum in Concistorio, adhibito Cardinalium consilio cum eorum subscriptionibus expediuntur. Aliae *non Concistoriales*, quae a solo Pontifice absque Cardinalibus emanantur. Dicuntur

denique bullae *dimidiae*, quae a Pontifice feruntur ante consecrationem, sic dictae, quia dum exhibent in una parte sigilli facies Ss. Apostolorum Petri et Pauli, decst in altera Pontificis nomen.

XLIII. Bullae a *Brevibus* differunt; illae pro gravioribus, isti pro levioribus negotiis expediuntur; pro illis membranae crassiores utuntur, pro istis subtiles; Bullae charactere Theutonico scribuntur, et in Cancellaria Apostolica expediuntur, Brevia charactere nitido exarata sunt, et in Secretaria brevium datantur; denique in Bullis sigillum aureum vel plumbeum exhibetur, in Brevibus sigillum impressum in rubra cera, imaginem exhibens Divi Petri piscationem exercentis, unde haec brevia expediri dicuntur *sub annulo piscatoris*.

XLIV. Adeo vero Bullarum numerus excrevit, ut Decretales ipsas in corpore juris contentas numero vincat, inter quas non ultimum locum tenent quas edidit immortalis memoriae Pontifex Benedictus XIV.

XLV. Inter canones autem, quae collapsam disciplinam restaurarunt post Constantiense et Basileense concilium, principem locum obtinent canones Tridentini. Sicut enim in fide non unus aut alter articulus definitus fuit, sed omnes firmati adversus aeffrenam Lutheri aliorumque Protestantium audaciam, ita omnia disciplinae capita in illo Sanctissimo Concilio restaurata ac confirmata fuerunt. Sed, malo Ecclesiae fato, non omnia, quae in hisce conciliis aut Pontificiis legibus decreta sunt ad disciplinam spectantia, aequaliter cunctas nationes obstringunt, vel quia solemniter non sunt promulgata, vel quia per pacta conventa ipsis suspensa est, quoad illa capita, ligandi vis.

XLVI. Memorabiles quoque sunt Cancellariae A-

postolicae regulae, quae cum ipsa Cancellaria ortum habuerunt. Sane clarissimus Muratorius meminit quemdam codicem manuscriptum, in quo regulae ipsae inerant cum inscriptione Pontificis Summi Honorii III. Satius igitur erit dicere a vetustissimis temporibus regulas ipsas ortum habuisse in Romana Cancellaria; postea a Joanne XXII., a Nicolao V. et Innocentio VIII. incrementum; perfectionem denique ab Innocentio X., cujus cura in unum supra septuaginta titolos distributae fuerunt. Heic porro monere juvat, regulas ipsas, nonnisi vivente Pontifice, vim atque robur obtinere, neque reviviscere, nisi per electum Pontificem, altero ab electione die, confirmentur.

XLVII. Ad jus canonicum etiam pertinent Sacrarum Congregationum Cardinalium declarationes. Sunt enim hae Congregationes conventus Cardinalium, quibus pleraque negotia cognoscenda, atque dijudicanda a Pontifice committuntur. Quaedam sunt *ordinariae*, quae stabilem, fixamque sedem obtinent; quaedam autem *extraordinariae*, quae pro re nata instituuntur, et dissolvuntur peracto negotio. Inter ordinarias primum locum obtinet Sancti Officii, seu Inquisitionis Congregatio, cujus est judicium ferre in iis quae pertinent ad haeresim manifestam, vel quae praesumptam haeresim sapere videntur, schisma, apostasiam a fide, magiam, sacrilegia, divinationes, sacramentorum abusus etc., necnon in reos animadvertendi. Ejus auctor fuit Paulus III., et qui eum secuti sunt Pontifices Paulus IV., et S. Pius V. appositis constitutionibus ejus officium, auctoritatemque declararunt. Constat haec Congregatio ex pluribus Cardinalibus, Assessore ex numero Praelatorum, Commissario ex Ordine Praedicatorum, pluribus Consultoribus, atque

Ministris : ipse Pontifex ejus praefecturam retinet.

XLVIII. Cum autem Concilium Tridentinum Pio IV. misisset indicem absolutum librorum vetitorum, cumque Summus Pontifex speciali bulla approbaverit, crescente in diem librorum colluvie, ejus successor S. Pius V. Congregationem Indicis instituit, quae possit libros Religioni, bonisque moribus, et Ecclesiae legibus adversos notare, eorumdem indicem, seu descriptionem conficere, et quibusdam cordatis viris legendi ac retinendi licentiam concedere. Habet haec Congregatio plures Cardinales, inter quos unus est Praefectus, pluresque Consultores, necnon Secretarium ex Praedicatorum familia.

XLIX. Ipsemet Pius IV., absoluto Tridentino Concilio, postquam vetuit, ne unusquisque proprio marte illius determinationes interpretaretur, Congregationem instituit Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quam Sixtus V. postea amplificavit. Ad ipsam pertinet Concilii decreta interpretari, et si in rebus fidei, facta prius relatione ad Pontificem, sedulo curare ut eadem decreta ab omnibus observentur, ut Episcopi synodum dioecesanam habeant, dioecesim visitent, seque de ejus statu certiorem faciant, ac statuto tempore adeant ad sacra Apostolorum limina. Constat haec Congregatio ex pluribus Cardinalibus, quorum unus est Praefectus, Secretarius vero est ex Praelatorum numero.

L. Congregationes Episcoporum et Regularium, necnon Sacrorum Rituum, Sixtum V. habent auctorem. Illa causas judicat inter Episcopos et Regulares, inter Episcopos et Episcopos, inter Regulares, et Regulares, alienationes permittit ex justa causa Ecclesiasticorum bonorum, atque etiam criminosos cle-

ricos debita poena mulctatur; haec vero sacras coeremonias, ritusque perpendit, Beatos, Sanctosque declarat, eaque demum, quae ad divinum officium, atque cultum pertinent, sedulo expendit, ac disponit. Utraque plures habet Cardinales, inter quos Cardinalis Praefectus, utraque etiam Secretarium ex Praelatorum numero; secunda tantum plures habet consultores. Sunt etiam Congregationes de Propaganda fide, super Indulgentiis, Sacrisque reliquiis, necnon Regularis disciplinae. Prima auctorem habet Gregorium XV., altera Clementem IX., postrema Innocentium XII.; quae quidem Congregationes explicatione non indigent, cum ex ipsis terminis facile intelligantur. Nec praetereundae Congregationes Immunitatis, cujus est videre, ut Ecclesiastica immunitas inviolata servetur; et Fabricae Sancti Petri, cujus officium non modo materialem illius templi fabricam respicit, verum etiam, ut onera missarum satisfiat unusquisque, diligenter curat. Ex his Congregationibus unaquaeque suos Cardinales habet, suosque Praefectos Cardinales, ac Praelatos a Secretis; tantummodo Congregatio super Indulgentiis Sacrisque reliquiis habet etiam Consultores.

LI. Sunt quoque aliae institutiones, quae ad rectam temporalem, atque spiritualem administrationem pertinent. Nos, illis omissis, has breviter expendamus. Poenitentiaria, cui praeest Cardinalis Poenitentiarius major, et adsunt plures sub eo ministri, veniam tribuit peccatis Summo Pontifici reservatis, lege solvit irregulares propter homicidium, vel ob defectum natalium, vim tribuit matrimoniis jam irritis propter impedimentum dirimens, atque occultum, necnon collationibus beneficiorum simoniacis, absolvit a censuris, ac demum Regulares de uno in alium Ordinem

transire faciunt. Cancellaria, cui praeest Cardinalis Vice-Cancellarius, nec pauci subsunt ministri, in duo veluti collegia divisi, quorum alterum de majori, alterum de minori *Banca* nuncupatur. Ejus est praesidere publicis, privatisque negotiis, quae per Apostolicas Bullas solent expediri. Denique Dataria, cui praesidet Cardinalis Pro-Datarius; sic dicta Dataria a datando tempus, quo gratia ab Apostolica Sede conceditur.

LII. Ad ipsam pertinet beneficia reservata, aut affecta, pensionesque conferre, dispensationes matrimoniorum, irregularitatum, natalium, aetatis concedere, juramenti, votique vincula laxare, uniones, suppressiones, divisiones Ecclesiarum facere, ac demum alienationes a Summo Pontifice permissae ecclesiasticorum bonorum expedire. Sed hac de re Cardinalis De Luca, in Relatione Curiae Romanae, plura dabit.

LIII. Restat modo, ut aliquid de pactis conventis, seu de Concordatis inter utramque potestatem Ecclesiasticam, videlicet, et civilem aliquid dicatur; inter quae principem locum obtinent Gallicana, et Germanica; quorum meminisse satis est, cum de his copiosior sit sermo faciendus. Apud nos varia fuerunt Concordata. Primum Concordatum, seu potius articuli pacis occurrunt anno 1156, inter Guilelmum Regem, et Hadrianum IV., Beneventi obsessum, quorum varia statuta fuerunt capitula de causis in gradu adpellationis ab Ecclesia Romana judicandis, de Regni investitura, de electionum libertate Ecclesiastica, de visitationibus Apostolicis, nec non de Pontificiis legationibus, ut videre est apud Baronium, tomo secundo annalium ad annum 1156.

LIV. Praeterea varia etiam inita sunt pacta in capitulis viginti quatuor distributa anno 1265, inter Clementem IV. et Carolum I. Andegavensem, sicut videre est in bulla investiturae utriusque Siciliae Regni apud Raynaldum. In his omnia ea quae ad immunitatem Clericorum realem et personalem, ad leges investiturae, ad fines status Beneventani, ad libertatem denique electionum Ecclesiasticarum pertinent, constituta fuerunt. Hae autem capitula, ad numerum quadraginta sex aucta ab eodem Carolo in solemnioribus Regni comitiis, et anno 1283 promulgata, Honorius IV. anno 1285 confirmavit circa ea quae ad immunitates, et privilegia Clericorum pertinebant; hinc factum fuit, ut Concordata Honorii passim nuncupentur. Quin immo ipsemet Honorius, eodem anno 1285, alia Capitula edidit circa formam exigendi collectas pro Baronibus, aliasque Regni utilitates; num autem haec Honorii capitula, a Cardinale de Parma Pontificio legato publicata, aliquando in Regno vim legis habuerint, adhuc inter eruditos disputatur. Ceterum eadem pacta conventa, et sub iisdem fere conditionibus renovata fuere in literis investiturae, quas sequentes Andegaventium Reges a Romanis Pontificibus obtinuerunt; videlicet Carolus Duracensis ab Urbano IV. anno 1445. Ferdinandus Catholicus ab Innocentio VIII. anno 1486.

LV. Tum eodem anno 1486. Innocentius VIII. cum Ferdinando Rege Catholico pactus est ut Episcopatus omnes, aliaque Regni beneficia a Romano Pontifice ad sui libitum conferrentur.

LVI. Cui derogatum aliquando fuit pactis inter Clementem VII., et Carolum V. Imperatorem anno 1532 conventis, in quibus Summus Pontifex nominationem

*

vigintiquinque Ecclesiarum Cathedralium, octo scilicet Metropoliticarum, et septemdecim Episcopalium, ceteris Apostolicae Sedi reservatis, Neapolitanis Regibus indulsit.

LVII. Benedictus XIV. anno 1741 cum Carolo III. Rege Borbonio pleraque disciplinae capita, pacto faedere constituit. Novem enumerantur publica; sex autem secreta. Prima sunt haec: De reali immunitate, de immunitate locali, de immunitate personali, de ordinandorum requisitis, de administratione Estauritarum, de causis fori Ecclesiastici, de librorum exterorum introductione, de beneficiis et pensionibus, de tribunali mixto. Altera vero constituta sunt, de privilegiis Beneventanorum, de Regio placito, de recursu ad Principem, de pensionibus, de unione ac suppressione Cathedralium, Ecclesiarumque nullius Dioecesis.

LVII. Adhuc duo enumeranda remanent pacta conventa, videlicet inter Pium VII. et Ferdinandum I., necnon inter Gregorium XVI. Pontificem vere Maximum, et Ferdinandum II. Pium, Augustum, Felicem; sed quia hujusmodi conventiones ad novissimum municipale jus pertinent, hinc quando opus erit, appositis additamentis, meminisse sufficiet; finis autem hujus tractatus illas integras exhibebit, prout habentur in textu.

LIX. Habetis igitur Juris Canonici praecipuas collectiones, earumque auctoritatem et vitia tenetis. Intelligitis quoque, quantum intersit animo habere comprehensam sacram, civilemque historiam, quidque adjumenti afferat Cronologiae ac Geographiae notitia, artisque criticae scientia, quarum ignoratio in multos compulit errores mediae aetatis scriptores, ceterosque

retardavit a solida sacrorum canonum intelligentia. Juverit denique jus civile percipere, cum ad ejus normam plura sint in decretalibus constituta.

LX. De utilitate Juris Canonici disserere oporteret; verum perspicua res est. Porro quid tam fructuosum Christi cultoribus morum regulas addiscere ex puris fontibus haustas, eaque statuta versare, quibus regitur divina Societas, singulisque cujuscumque ordinis ac dignitatis suum officium praescribitur? Quid utilius viris sacrae militiae adscriptis, quam prisca replicare saecula, Patrum sanctitatem, gravitatem, doctrinamque conspicere, antiquos ritus ac caeremonias animo lustrari, sacrae potestatis jura, et regiae majestatis auctoritatem, utriusque finem et stabilitos divinitus terminos internoscere? Haec omnia in hisce Institutionibus breviter persequar, maximeque enitar, ut dum fugiam rabularum dumeta, et procacium opinionum licentiam, perspicuum sit, et rerum et ducum habuisse delectum, cunctaque ad divina scripta et traditionem exigens, dum vobis perpurgatam Jurisprudentiam tradam, clareat, me sin minus assecutum, saltem prosecutum esse quod mihi sapienter imperatum fuit.

INSTITUTIONUM

JURIS CANONICI

LIBER PRIMUS

PARS PRIMA.

Veterum Jurisconsultorum partitionem sequens, universum Jus Canonicum trifariam dividam; prima pars Ecclesiasticam Hierarchiam, aliosque ministros, sacrasque personas complectitur; altera continet res sacras, eisque conjunctas; postrema judicia civilia, et criminalia comprehendit. Priusquam tamen ad haec explicanda animum adjungam, pernecessarium puto de natura divinae Societatis a Christo fundatae breviter edisserere, variamque juris speciem exponere, cum haec inquisitio planum iter paret ad ea intelligenda, quae de personis, rebus, et judiciis dicam.

CAPUT I.

DE ECCLESIAE NATURA AC POTESTATE.

I. Hominum Societatem a Christo fundatam esse a Civilibus Societatibus dissimilem, sentiunt quotquot Christum colunt. Putat Moshemius, in Institutionibus Ecclesiasticae Historiae, nullam certam ratamque formam gubernationis praescripsisse Christum, qui in-

stituto doctorum ordine, liberam istis facultatem dederit eligendi eum administrationis modum, quem tempori ac loco opportunum judicarent.

II. Errat plane Moshemius, et qui eadem sequuntur principia. Cum enim Dominus fundator Apostolis, eorumque successoribus, non solum docendi potestatem, verum etiam regendi auctoritatem contulerit ex Paulo, *Actorum vigesimo*, praeceperitque ejiciendi a fidelium caetu, qui pertinaciter eorum praeceptis non obedierit, perspicuum est, peculiarem, ac determinatam gubernationem a Christo fuisse stabilitam; quod quidem clarius patebit ex dicendis de Episcoporum et Sacerdotum divina institutione, necnon de Episcoporum supra Presbyteros potestate, ac jurisdictione ex ipsius Christi praescripto.

III. Nec minus errant Puffendorfius, Salmasius, aliique a Romana et universali Ecclesia sejuncti, qui omnium aequalitatem in Ecclesia mordicus tuentur. Ajunt enim, sacros ministros divinitus quidem esse institutos, eisque datam potestatem docendi, distribuendique Sacramenta, numquam vero a Christo auctoritatem accepisse condendi leges, judicandi, ac renitentes, pertinacesque homines puniendi. His adversantur Catholici omnes, qui Ecclesiam statuunt Societatem esse inaequalem, ejusque gubernatoribus datam a Christo auctoritatem regendi populum, condendi leges, reosque plectendi. Equidem Christo inerat haec potestas; Christus autem Apostolos misit in universum orbem, sicut ipse fuerat a Patre missus; ornavit insuper eos facultate ferendi leges, atque judicandi. *Data est mihi*, inquit ille, *omnis potestas in coelo, et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiri-*

tus Sancti; et alibi: *sicut misit me Pater, ego mitto vos*; et alibi etiam, *qui vos audit, me audit*, *qui vos spernit, me spernit*: Quare Apostolus, *Actorum vigesimo*, scribit: Episcopos a Spiritu Sancto ad regendum populum constitutos. Igitur Christus veram Societatem instituit, peculiaremque formam comunitati a se conditae tribuit, quae inaequalitatem in Ecclesia indigitat, aeque constanter manebit. An vero elegerit Monarchicam, aut aristocraticam, aut democraticam, aut formam mixtam ex Monarchia ab Aristocratia temperatam, paucis de more ostendam.

IV. Certum est apud omnes Catholicos, Ecclesiae formam non esse democraticam. Protestantium enim, atque Edmundi Richerii jampridem explosa sententia est, ut ipsos Protestantes pudeat eam amplius sustinere. Sane, ut sapientissime advertit doctissimus Devoti in prolegomenis ad jus canonicum uuiversum, in populari republica, quam Graeci democratiam appellant, magistratus a plebe constituuntur, ab eaque ab officio removentur, poenaque cum est opus, ac morte mulctantur, conduntur leges, proemia ac supplicia decernuntur, atque a magistratuum, rectorumque sententia ad populum appellatur. Ecquid ex his in rempublicam Christianorum cadit? Enimvero Apostoli, nullo expectato plebis consilio a Christo fuerunt instituti, et ipsi deinceps alios pastores elegerunt. Hi autem pastores numquam fuerunt a populo judicati; et tantum abest eos fuisse a populo amotos, aut e gradu ejectos, quin potius si quid impetu concitatae multitudinis in ipsos actum fuerit, id semper tamquam facinus indignum, ac temerarium fuit semper in Ecclesia improbatum. Numquam vero legitur, populum sanxisse leges, aut apud illum fuisse aliquando appellatum;

omnia gesta sunt in Ecclesia Episcoporum judicio, et in rebus ad Religionem pertinentibus populus ipse semper passive se egit, et si quis constitutis legibus parere recusavit, is meritis poenis affectus fuit. Quid? quod si ex voluntate legislatoris debemus de ejus legislatione judicare, non ad populum, sed ad primates Ecclesiae Christus Dominus imperium commisit. Ad Petrum enim, non ad populum dixit, *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; ad Apostolos insuper, non ad populum dixit: *quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis*; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex his igitur patet, Ecclesiae regimen non esse democraticum.

V. Nec multum immoramur, ut contra Dioscorum, ac Protestantes, illos praesertim, quos vulgo Presbytérianos appellant, ut demonstremus, Ecclesiae regimen non esse purum Aristocraticum. Sicut enim jure divino Episcopi sunt superiores Presbyteris, aequo jure Summus Pontifex praeest Episcopis primatu honoris et jurisdictionis, sicut de fide in Concilio Florentino fuit definitum; ex quo prono alveo fluit Ecclesiae regimen non esse aristocraticum; nam aristocratica gubernatio habetur, ubi optimates imperant summo jure, nec alius invenitur, qui possit illis imperare, atque poenali sanctione coerceri.

VI. Nec minus aliquid negotii nobis facessit opinio illa, quae multos inter doctores Catholicos, patronos invenit, qui pro aris et focis sustinent Ecclesiae regimen, licet monarchicum, esse ab Aristocratia temperatum. Sed quis non videt in gubernatione Monarco-

Aristocratica non solum imperare Monarcham, sed optimates omnes, ita ut lex non obliget, nisi comuni sanctione fuerit firmata? Quod si semel in Ecclesia posueris, tunc Ecclesiastica constitutio esset omnium infirmissima. Leges enim Pontificis Summi vim atque robur non obtinerent, nisi prius consensu Episcoporum, vel fuerint per orbem dispersi, vel in Concilio congregati, firmatae non essent. In priori casu pauci Episcopi sententiam necessariam ad extirpandum errorem possent infirmare, in altero summa potestas esset omnino in Ecclesia intermittens, et praecaria. Quo quid absurdius? Satius igitur erit dicere, formam Ecclesiastici regiminis esse absolute monarchicam.

VII. Sane vero haec opinio conformior est auctoritati Scripturae, quae etiam, ut mere historica, maximam moeretur fidem, et nobis intentionem ostendit divini Ecclesiae fundatoris; sicut etiam conformior est auctoritati Divi Thomae Aquinatis, atque rationibus ab ipso adductis. Prius enim quam Christus Apostolis omnibus dixisset: *quodcumque solveritis* etc. dixit soli Petro: *Tu es Petrus* etc. *quodcumque solveris* etc. ut ostenderet auctoritatem Apostolorum esse in Petro et per Petrum, et nonnisi cum subjectione ad ipsum exerceri debere. Quod etiam clarius eruitur ex altero ipsius Christi testimonio, quando eidem Petro dixit: *pasce agnos*, *pasce oves*, in quo non solum intelliguntur popoli, verum etiam pastores, qui debebant pasci, sive regi, quae duo vocabula pro eodem in scripturis accipiuntur. Ac denique ut omnem dubietatem auferret, Christus Dominus supremam Petro auctoritatem tribuit quando dixit: *Simon Simon; ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,*

et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; quomodo autem posset confirmare, nisi veram, summam, realem potestatem haberet? Ex his igitur patet Ecclesiae regimen esse monarchicum. Accedit etiam Divi Thomae Aquinatis auctoritas, qui demonstrat novam symboli editionem ad Summum Pontificem pertinere. *Nova editio symboli*, inquit ille, *necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur* (*2. 2. quaest. 1. art. 10.*). Ex quo patet quod sicut in civilibus ex hoc ipso quod ordinatio legum sit penes Regem, ejus Societatis forma est monarchica, a pari ex quo editio nova symboli ad Pontificem pertinet, sequitur apud ipsum esse potestatis summam, et ideo Ecclesiae regimen esse monarchicum. Et alibi (*contr. gent. lib. 4 cap. 76 n. 2*) ipsemet Sanctus Doctor ostendit ad servandam Ecclesiae unitatem necessarium fore, ut unus omnibus imperet. *Ad unitatem Ecclesiae*, ait, *requiritur, ut omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea, quae fidei sunt, contingit quaestiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiae conservandam, quod sit unus, qui toti Ecclesiae praesit.* Hactenus Angelicus Doctor. Porro si semel admittatur Ecclesiae regimen esse Monarco-Aristocraticum totius fidei, morumque summa esset necessario apud Pontificem et Episcopos omnes, qui sunt in Ecclesia optimates, nec posset Summus Pontifex absque Episcopis legem in Ecclesia ferre, vel ad summum ejus leges provisionales tantummodo essent; quo se-

mel posito, et Christi promissiones Petro, ejusque successoribus factae ad servandam Ecclesiae unitatem frustraneae essent, et nugatoriae, et Ecclesiae constitutio non haberet firmitatem illam, quae sine immediata errorum damnatione consistere non potest.

VIII. Neque ex hoc divina Episcoporum institutio infirmatur, ajente Christo ad Apostolos omnes: *sicut misit me Pater, ego mitto vos*. Joan. XX. 21. Nihil enim vetat etiam in ordinatione Societatis monarchica nonnullos esse, qui quamvis in institutione a Summo Imperante non pendeant, attamen in rerum ac jurisdictionis administratione illi debeant parere. Igitur Episcopi sunt ex institutione divina, in Concilio vocati sunt veri judices, proprio jure dant suffragia, sed ex hoc non infirmatur regimen Ecclesiae monarchicum esse, sicut fusius dixi in Editione Italico sermone exarata.

IX. Ex hac propositione eruitur 1. Pontificem Summum posse vel solum, vel in generali Concilio, veras leges ferre. 2. Concilium Generale non esse absolutae necessitatis, sed tantummodo ipotheticae, ut veritas clarius, atque sensibilius estrinsece innotescat. 3. Cum Pontifex possit ferre leges absque generali Concilio, immo nec Concilium posset dici generale absque Pontifice Summo, sequitur, summum Pontificem superiorem esse Concilio. Restat igitur Ecclesiae regimen esse absolute monarchicum.

X. Neque haec jurisdictio evertit regna vel imperia, nempe non sibi arrogat res terrenas, sed superna ac spiritualia prosequitur, suaque facit. Cum enim illi ipsi, qui in sinu Ecclesiae sunt, sint quoque Cives regni, vel imperii, Ecclesia duplici modo considerari potest, scilicet vel ut est corpus civile, vel sacrum.

Si illam spectemus ut civile corpus, est Societas hominum, qui per easdem leges sunt inter se conjuncti, et parent Regi, vel alteri supremo societatis capiti. Quod si illam nobis exhibeamus veluti corpus sacrum, est *coetus hominum ejusdem fidei professione, et eorumdem Sacramentorum comunione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue unius Christi in terris Vicarii, Romani Pontificis.* Finis, ob quem Christus Ecclesiam constituit, est aeterna hominum salus, quam sibi proposuit cum mortem oppetiit; finis vero civilis societatis situs est in terrena felicitate, populique securitate. Auctoritas, atque jurisdictio, quam Christus largitus est Ecclesiae administris, ut sit consentanea fini societatis, res spirituales ac supernas directe persequi debet; ex adverso civilis potestas, a Deo fluens, comoditates hujus vitae, communitatisque tranquillitatem versabit.

XI. Utraque potestas ex divina institutione ita comparata est, ut in propria materia una non pendeat ab altera; utraque summa, utraque in suo genere independens; quo semel constituto, collegiale Puffendorfii systema, et monstrum illud quod asserebatur regnum in regno penitus exploditur. Quare mysteria fidei, divina praecepta, Sacramenta, aliaque omnino spiritualia concredita sunt Ecclesiae Administratoribus, et ab ipsis omnino tractanda, et dijudicanda; regni vero, et imperii terrena negotia, eodem modo agitanda et definienda a Regibus, et civilis potestatis gubernatoribus. Audiatur Bellarminus lib. 1. de Cler. cap. 28. *Non sunt exempti Clerici ab obligatione legum civilium, quae non repugnant sacris canonibus, vel officio clericali. Loquimur hic potissimum de legibus civilibus politicis, quae dirigunt actiones humanas*

in commerciis temporalibus, ut cum Princeps, vel Magistratus constituit pretia rebus venalibus, vel jubet noctu neminem incedere cum armis, vel sine lumine, vel non asportare frumentum extra provinciam, et his similia ....., alioqui magna pertubatio, et confusio in Republica oriretur, si clerici non servarent civiles leges in commerciis civilibus, et humanis. Hactenus ille. Quod si Princeps aliquid imperet alienum a fide, aut divinis praeceptis, obediendum plane Ecclesiae auctoritati, etiam cum discrimine vitae; quod enim ad fidem, vel divinam legem pertinet est prorsus ad aeternam salutem necessarium, et melius est Deo obedire, quam hominibus.

XII. Etsi vero fidei articuli, divina doctrina, Sacramenta, aliaeque hujus generis spirituales res sint potestati Ecclesiasticae subjectae, et in his regia auctoritas ad Ecclesiae pastores sese referre debet, nihilominus Principes sunt ejusdem sacrae potestatis defensores, ac tutores. Jus, seu potius debitum, defensionis ac tutelae, quo Reges praediti sunt, latius patet, ac fundatur per omnia dogmata, doctrinaeque capita, et sacra. Non eis quidem harum rerum dijudicandarum potestatem impertit defensoris dignitas; ipsa tamen efficit, ut quae de iis statuta sunt ab Ecclesiae gubernatoribus Reges tueri debeant, sive continendo in officio fidei hostes, et disciplinae corruptores, sive auferendo impedimenta, propter quae Ecclesiae ministri suum munus exercere non possunt.

XIII. Hanc praeclaram operam exhibuisse olim summos Imperantes, et in praesens conferre, monumenta perspicua demonstrant, ex quibus constat nihil tam cordi fuisse, quam ut Religio pura custodiretur, et latius propagata exerceatur. Sane vetustissima con-

suetudine Principes, plaudentibus, ac petentibus Episcopis, auctoritatem suam Ecclesiasticis regulis impertierunt. *Jubeatis*, ajebant Theodosio Patres Ephesini, Actione V. *ut ea, quae constituta sunt ab Oecumenica, et Sancta Synodo .... suum robur obtineant adsensu pietatis vestrae.* Et Leo Magnus Lib. 2. epist. 61 ad Imperatorem: *Debes*, inquit, *incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, ea, quae bene statuta sunt, defendas, et veram pacem iis quae sunt turbata restituas*. Habetis igitur civilis, et sacrae potestatis finem; noscitis utriusque naturam: et materiam eis subjectam, terminosque perspicitis, intra quos ambae concluduntur. Quare illud iterum pro coronide repetam, rerum temporalium moderationem, judicium, ac supremam potestatem in civili republica esse apud Reges; spiritualium vero administrationem a Christo tributam esse Ecclesiae rectoribus; quibus ipsimet Principes subesse debent, atque obedire.

CAPUT II.

DE ECCLESIÆ MEMBRIS, PROPRIETATIBUS, AC NOTIS.

I. Ecclesia, juxta definitionem capite superiori allatam, est coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione, et eorumdem sacramentorum comunione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis. Quae quidem definitio contra Protestantes, aliosque neotericos, mordicus ab unoquoque Catholico sustinetur. Ipsa enim fidem internam, externamque

professionem includit, atque subjectionem Pastoribus, ac praecipue unitatis centro, Pontifici videlicet Romano, complectitur. Ex quo manifesta consecutione cruitur, eos qui eamdem Christianam fidem non profitentur, sicut infideles, vel in sacramentis iisdem non comunicant, et ab Ecclesia discesserunt, vel fuerunt sejuncti, sicut haeretici atque excomunicati majores, ac denique qui Pastoribus non adhaerent, et praecipue Pontifici summo, sicut schismatici, istos omnes in Ecclesia non esse. Hinc manca atque imminuta quodammodo est vel Launoij definitio, dum dicit Ecclesiam esse fidelium congregationem, vel Cavallarii, qui Ecclesiam definit, coetum fidelium, qui sub suis Pastoribus ad vitam aeternam consequendam exercetur.

II. Hoc autem dum dicimus, multo magis definitionibus haereticorum, atque Protestantium adversamur, qui nonnisi sceleris puros, vitaeque integros ad Ecclesiam pertinere censebant, cujus opinionis fuerunt veteres Donatistae, ac nuperrime ex Lutheranis Anabaptistae; vel etiam sicut placuit Wicleffo, quem secuti sunt Calvinus, Lutherus, atque Quesnellus, qui praedestinatis tantum ad gloriam, concedendum esse putarunt in Ecclesia locum. Sed quam absurda sit istorum omnium opinio demonstrat inter alios disertissimus Canus Lib. IV. de Locis Theologicis. *Si enim* inquit ipse, *Ecclesia in singulis etiam membris omni prorsus labe et culpa vacare oporteret, nulla profecto in terris esset Ecclesia, quoniam nemo usquam mortalium est, qui omni ex parte perfectus et immaculatus sit. Si dixerimus; quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Joan. I. Imo Christus Dominus jubet, malis etiam ministris obedientiam

praestare oportere, cum ait Math. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei; quaecumque dixerint vobis facite, secundum opera eorum nolite facere.*

III. Rursus si praedestinati tantum essent in Ecclesia, res Christi publica fuisset insipientissime constituta; cum enim universi fideles dubitent, an summus Pontifex, Episcopi, Sacerdotes, ac ceteri Ecclesiae ministri sint Praedestinati, nec ne, dubitent etiam oportet, num decretis, judiciisque eorum adstringantur. Ita fiet, ut Ecclesiae ac Conciliorum dogmata ambigua sint omnia, et leges cunctae imbecilles, sineque vi ad coercendum idoneae. Quid autem stultius dici potest, quam civitatis suae magistratus qui sint, omnino non posse cognosci? Qui igitur ita sentiunt, ii stultum Christianae reipublicae auctorem faciunt, omnia scita, praecepta, sanctiones evertunt, omnemque funditus Ecclesiae potestatem.

IV. Sed non modo argumentis indirectis, sed etiam iisdem Christi verbis demonstratur Ecclesiam praedestinatis et non praedestinatis, bonis malisque constare. Audiamus ex eodem Cano ipsius Christi parabolas, ex quibus hoc idem Cyprianus, Hieronymus, et Augustinus argumentantur. In agro quippe Dominico, inter nitentia culta, lappaeque, et tribuli, et steriles dominantur avenae. In area paleae frumentum operiunt. In reti pisces et boni concluduntur, et mali. In magna domo vasa sunt lignea et fictilia, honorata quoque, et inhonorata. In regno coelorum cum sapientibus virginibus fatuae sunt. In Christi familia servus nequam invenitur, non ille solum, qui conservo negavit misericordiam, sed is etiam

qui super familiam constitutus, cum moram Domini causaretur, pristinumque timorem abjiceret, coepit percutere servos et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari. Quid? an non Ecclesias in Apocalypsi legimus, quarum angelos et ministros Deus ad poenitentiam admissi criminis cohortatur? Nonne Apostolus ad Galatas eas etiam Ecclesias vocat, quas ipse idem errore arguit depravatas? Inter Corinthios quoque non una erat peccati species, sed plurimae, neque levia erant errata, sed flagitia; et tamen Apostolus eos non solum Ecclesiam; sed sanctam Christi societatem, et agnoscit et praedicat. Stat ergo, Ecclesiam ex bonis, malisque, ex praedestinatis, et non praedestinatis constare.

V. Nil autem mirum, si ad hoc absurdum delabi debuerint haeretici; nam cum Catholici ab ipsis quaererent ubinam esset Ecclesia, antequam ipsi novis rebus studerent, ajebant, Ecclesiam non esse visibilem; quod fidei vehementer repugnat. Quinimmo visibilitas est prima Ecclesiae proprietas; *non potest* enim, inquit ipse Christus apud Math. V. *civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio*, et alibi Matth. 18. *Si non audierit te, dic Ecclesiae, si autem Ecclesiam non audierit etc.* Ecclesiam igitur manifestam, et cognitam fidelibus esse necessum est. Adde, quod Augustinus ait contr. Parm. Lib. 3. cap. 6. *nulla est securitas unitatis, nisi apud Ecclesiam, quae supra montem posita, abscondi non potest, et ideo necesse est ut omnibus terrarum partibus nota sit.* Denique, Ecclesia est societas hominum qui, utpote ex anima et corpore constent, visibiles sunt, Christus Dominus ejus fundator visibilem naturam assum-

psit, et visibilia instituit Sacramenta, ac praesertim Baptismum, quo homines in eam Societatem cooptantur; desipiunt igitur qui Ecclesiam invisibilem esse contendunt.

VI. Sed praeter visibilitatem, sunt etiam et aliae duae Ecclesiae proprietates, indefectibilitas, videlicet, et infallibilitas. Ad primam quod attinet, certum est de fide Ecclesiam numquam posse deficere. Est enim sponsa Christi per fidem, sicut scriptum est Oseae 2. 20. *sponsabo te mihi in fide*. Quod si Ecclesiae fides deesset, jam sponsi, sponsaeque matrimonium dirimeretur, quorum tamen est indissolubilis conjunctio, juxta illud Oseae 2. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum*. Et adhuc clarius, Christus ipse ait Matth. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, et alibi Matth. 16. 14. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Ecclesiae igitur fidem non poterit vel infernus adimere, et ideo Ecclesia indefectibilis est.

VII. Sed adhuc etiam infallibilis, in quantum, scilicet, in credendo errare non potest. *Ego rogabo Patrem*, ait Christus Joan. 14. 16., *et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum Spiritum veritatis, quem vos cognoscetis, quia apud vos manebit*. Et postea: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis*. Ac denique: *cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Promissiones Christi absolutae sunt, neque ab ulla conditione pendentes, sed perpetuo duraturae; stat igitur Ecclesiam esse infallibilem.

VIII. Ut autem Ecclesia ab haereticorum conven-

ticulis internoscatur, necessum omnino est notas quasdam intervenire, quae hoc idem praestent. Varias Auctores statuunt notas, quae tamen ad haec quatuor reducuntur, videlicet ad unitatem, sanctitatem, catholicitatem, et Apostolicitatem. Enim vero una est veritas, et unus Deus veritatis auctor, Christus unus, unaque Religio ab ipso statuta, quae in unitate fidei, Sacramentorum, atque subjectioni eidem potestati consistere debet. Quis autem non videt haereticos homines, ac maxime Protestantes, hac unitate carere, qui Bibliam pro modulo suo interpretantes, fidei unitatem non habent, qui eodem numero Sacramenta non retinentes, non conveniunt in eodem cultu, qui eamdem subjectionem non habent, cum non subsint eidem imperio? E contra Catholici eamdem fidem profitentur, iisdem Sacramentis utuntur, quot a Christo fuerunt instituti, et potissimum subjiciuntur Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis. Sit pro omnibus Hieronymus, qui hoc pacto scribebat Damaso Papae Epist. 15. de hypostatibus. *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.*

IX. Sed praeter unitatem, sanctitas etiam debet esse Ecclesiae nota, quae in Sanctitate Auctoris, et doctrinae consistit. Catholici hanc Sanctitatem tuentur, nec ullum notari potest doctrinae caput, quod

a recto rationis, atque aeternae legis tramite abhorreat. Sed Protestantes, Lutherum, Calvinumque ec. auctores agnoscunt qui per omne nefas ruere in vita sua non erubuerunt, doctrinam autem docuerunt quae Deum injustum crudelemque facit, atque omnium passionum habenas hominibus relaxat. Quid enim aliud sibi volunt illa Protestantium dogmata, Deum impossibilia praecipere, Deum nonnullos, ante praevisa demerita, aeterna poena mulctari, fidem solummodo sufficere, opera vero esse prorsus inutilia etc.?

X. Nec prorsus esset vera Ecclesia illa quae praeter duas notas hactenus enumeratas, non haberet catholicitatem et apostolicitatem; vera enim Ecclesia debet esse universalis; unus quippe est Deus, unus mediator Dei, et hominum Christus Jesus, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; debet etiam apostolica esse, quae videlicet per successionem non interruptam usque ad Apostolos, et Christum ascendat; utramque hanc notam habet Ecclesia Romana, quae universalis est quoad locum, et tempus, seriemque habet Pontificum usque ad Petrum ascendentem; utraque vero carent Protestantium conventicula; non enim universalitatem habent, utpote quia certo loco, certo tempore emerserunt, nec quisquam eorum haeresim instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiae catholicae et antiquitatis consensione discreverit; multoque minus habent apostolicitatem, quia missionem non habuerunt a legitima potestate, imo ab ipsa fuerunt penitus per excommunicationem esclusi. Nec valet dicere, ipsos missionem habuisse extraordinariam. Missio extraordinaria ostenditur praecipue per prophetias et miracula; atqui ubinam gentium auditur; quo in codice legitur, Lutherum, Calvinum, vel quemdam

inter Pseudo-reformatores aliqua prophetia praenuntiari, aliqua patrasse miracula? Si igitur neque origines Ecclesiarum suarum edere possunt, neque argumentum aliquod promere, ex quo possit inferre ipsos extraordinariam habuisse missionem, debent omnino nobiscum fateri, eorum Ecclesias non esse Apostolicas, ac proinde eos veram Christi Ecclesiam non habere. Sed de notis Ecclesiae copiosior apud Theologos erit sermo; legite Canum.

CAPUT III.

DE MULTIPLICI JURE, EX QUO CONSTAT JUS CANONICUM, EJUSQUE VARIIS SPECIEBUS.

I. Jus, quo divina Christi societas gubernatur ac regitur divinum est, aut humanum. Divini juris auctor Deus est, et in naturale ac positivum dividitur; illud inseruit Deus in cordibus hominum, et recta ratione duce percipitur; istud vero voluit Deus extrinsece revelare, ut infirmitati humanae opem ferret, quae sic adjuta, clarius ac distinctius naturales praeceptiones agnoscit. Lex naturalis suapte natura stabilis est, perpetua, nullique mutationi obnoxia. Jus divinum positivum bifariam distinguitur. Aliud ad vetus, aliud ad novum foedus pertinet; illud Deus tulit per Moysen, et Prophetas, atque in divinis antiqui Testamenti libris comprehenditur; hoc autem Christum habet auctorem, atque in divinis scripturis, et in traditione continetur. Antiquum foedus abrogavit Christus in iis capitulis, quibus Æbraici populi gubernatio continebatur, ritusque praescribebantur, quibus praedicebatur Servatoris adventus:

hisce demptis, sua firmitate gaudet, cunctosque fideles obstringit perinde ac lex ab ipsomet Christo constituta. Porro illud sedulo advertamus oportet, jus divinum ab hominibus mutari non posse.

II. Jus humanum Ecclesiae auctoritate constitutum est, quae pro recta morum, et disciplinae conformatione aperte sancivit, vel ipso usu induxit; hinc profecta illa juris Canonici divisio in scriptum, et non scriptum. Primum, quod in canonibus Conciliorum, aut in Pontificum rescriptis continetur, perspicua, et deliberata legislatoris voluntate constituitur; nec refert an voluntas ipsa fuerit literis consignata, necne. Secundum autem moribus inducitur, vocaturque consuetudo, quamvis haec sit postea monumentis consignata. Hisce praemissis, antequam de canonibus conciliorum, de rescriptis, atque consuetudine sermo sit, necesse omnino est, ut primo quaenam sit realis definitio juris canonici, aperiamus, cum de nominali definitione in isagogica exercitatione satis dixerimus. Igitur Jus Canonicum definitur: *illud, quod ab Ecclesia per Episcopos, maxime vero per Summum Pontificem, ad Christianos in fidei, morum, disciplinaeque regulis informandos constitutum, adprobatumve est.* Dicitur primo *ab Ecclesia per Episcopos.* Episcopi enim sunt, quos Spiritus Sanctus posuit, veluti inspectores, ac speculatores, regere Ecclesiam Dei; ad illos igitur pertinet non modo praedicare, ac docere, verum etiam leges ferre, quae ad optimam gregis administrationem pertinent: sed additur *maxime vero per Summum Pontificem.* Nam sicut inter omnes Apostolos unus Petrus fuit a Christo positus, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, ita inter omnes Episcopos,

Apostolorum successores, unus Summus Pontifex, Petri pariter successor est institutus, ut fratres in fide nutantes confirmaret, atque honoris ac jurisdictionis primatu, in Ecclesia unitatem inviolabiliter, ac perpetuo servaret. Subjungitur *ad Christianos.* Omnes enim qui Christiani sunt Ecclesiae legibus pariter adstringuntur, licet per haeresim, aut apostasiam, aut schisma, aut excommunicationem ab Ecclesia ipsa defecerint. Judaei vero, Gentiles, ac Turcae, Ecclesiae legibus non tenentur, secundum illud Apostoli Epist. 1. ad Corinth. V. 12. *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Additur etiam *in fide, morum, disciplinaeque regulis informandos.* Quamvis enim per duodecim fere saecula nullum esset inter Canonistas, Theologosque discrimen, quod postea inductum in Ecclesia fuit; attamen Juris Canonici, ac Theologiae principia ad idem semper reducuntur, videlicet ad Dei verbum sive scriptum, sive ore traditum. Et quamvis non eadem sit rerum tractandarum ratio, tamen nihil aliud sunt Canones, nisi conclusiones ex Theologicis principiis illatae, vel determinationes temporis, loci, modique, quibus jus divinum observandum praecipitur, vel faciliores rationes, ac ritus, quibus regitur, et gubernatur Ecclesia; hinc utraque facultas sibi invicem poscunt opem, et conspirant amice. Dicitur denique *constitutum, adprobatumve est.* Jus enim illud, quod sive fidem explicat, sive dirigit mores, sive disciplinam disponit, vel per positivam atque explicitam legem *constituitur*, vel consuetudinem rite inductam, vel peculiares Conciliorum particularium leges pro universa Ecclesia *adprobat.*

III. Hactenus de reali juris canonici definitione;

atque ut inde redeat, unde exivit oratio, nonnulla de Conciliis, rescriptis, atque consuetudine dicamus oportet: et ad Concilia quod attinet, Concilium sic dictum sive a consulendo, sive a considendo, sive a concurrendo in eamdem sententiam, in re Ecclesiastica est *Congregatio Ecclesiasticorum, praesertim Episcoporum, legitima auctoritate convocata ad statuendum quae spectant Religionem, moresque Christianorum.* Istiusmodi conventus divinam agnoscunt institutionem; non enim inverisimile est, Apostolos sua concilia celebrasse ex Spiritus Sancti inspiratione, vel etiam ex ipsius Christi exemplo. Episcopi *proprio jure* in Conciliis sedent, nec ut Pontificis Summi consiliarii, sed ut veri nominis judices, sicut patet ex ipso apud Hierosolymam celebrato Concilio, in quo postquam Petrus suam sententiam aperuit, Jacobus subjunxit: *propter quod ego judico.* Judicant vero Episcopi cum dependentia ad Pontificem Summum, qui non modo in Conciliis sedet ut Praesidens, sed etiam ut Princeps, et ideo vota majoris partis irritare potest, illaque sententia firma consistit, in quo accedit Summus Pontifex, cui in Petri persona dictum fuit: *confirma fratres tuos.*

IV. Sed, praeter Episcopos, adsunt etiam cum voto decisivo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales propter eminentiam dignitatis; sicut etiam Abbates, et Ordinum Generales ex privilegio. Theologi, et Canonistae, simplices Sacerdotes, et Diaconi cum voto consultivo, ac denique Imperatores, et Reges vel per se, vel per legatos, ut conditas ab Episcopis regulas acciperent, atque executioni mandarent. Locus ordinarius habendis conciliis est Ecclesia, quamvis aliquando fuerint alibi celebrata, sicut patet ex

Concilio Trullano, consessus dignitate cuique servata, et secundum ordinem sedium, etiam subscriptiones regulantur, semper tamen Legatis Summi Pontificis, subscriptionis, loci, et suffragii praerogativa reservata. Hactenus de Conciliis in genere; videamus modo, quae ad unumquodque peculiariter attinent.

V. Variae sunt Conciliorum species. Quaedam universalia, quaedam particularia nuncupantur. Illa totam Ecclesiam repraesentant, a Pontifice Summo indicuntur, atque confirmantur, et in iis, quae ad fidem et mores attinent, vel etiam ad dogmatica facta, infallibilem habent auctoritatem. Altera vero rursus distinguuntur in Dioecesanis, Provincialibus, atque Episcopalibus. Dioecesana olim dicebantur, quae ab unius Dioecesis Episcopis celebrabantur; Dioecesis autem nomen non assumebatur, sicut nunc temporis pro unius Episcopi territorio, sed pro multarum Provinciarum coacervatione; hoc pacto multa fuerunt in Oriente Dioecesana Concilia, multa pariter in Occidente, sicut Concilia Africana, Gallicana, Hispana, in quibus quae ad fidem, ac disciplinam pertinebant, necnon causae majores totius Dioecesis tractabantur. *Conc. Tolet. IV. can. 3.*

VI. Sed praeter Dioecesana, adsunt etiam Concilia Provincialia, seu Metropolitica, quae indicit Metropolita, omnesque Episcopos sibi subjectos vocat statuto loco ac tempore. Olim quae majora in Provincia erant, sicuti disciplinae emendatio, contra Episcopos querimoniae, ipsorum traslationes, cessiones, novarum sedium erectiones expendebantur; sed his omnibus Pontifici Summo reservatis, ad solam disciplinae emendationem reducuntur, nec inutiliter tamen, sicut patet ex Conciliis Mediolanensibus a S.

Carolo celebratis, et binis Neapolitanis per Archiepiscopos Marium Carafam an. 1576., et Jacobum Cardinalem Cantelmum an. 1699. Sane vero quolibet saltem triennio, juxta Tridentini praescriptum, Sess. XXIV. de Ref. cap. 2., Metropolitanus Synodum cogere in sua Provincia praetermittere non debet. Ceterum in Italia vetitum Concilia Provincialia celebrare, ejusque canones promulgari, inconsulta Sede Apostolica, sicut refert Cardinalis de Luca Disc. III. ad Conc. Trident.

VII. Denique Concilium in quo unius dioecesis Presbyteri ab Episcopo vocantur ad Ecclesiastica negotia pertractanda, a veteribus fuit appellatum Episcopale, a recentioribus autem Dioecesanum. Semel in anno hujusmodi Concilium esse celebrandum voluere Lateranenses cap. 25. de accus., et Tridentini Patres De reform. sess. XXIV. cap. 2. Episcopus electus et confirmatus jure suo indicit, quamvis nondum consecratus; haud vero Archiepiscopus, antequam pallium acceperit, neque Episcopus titularis, neque Vicarius generalis, nisi espressam hac de re ab Episcopo facultatem habuerit, neque Vicarius Capitularis, nisi post annum ab ultima synodo, neque Vicarius Apostolicus, nisi de Pontificis Summi licentia. Vide Benedictum XIV. de Synodo Dioeces.

VIII. Vocantur autem ad Concilium Dioecesanum Archipresbyteri, Archidiaconi, omnesque qui dignitatem; atque personatum, aut officium habent, Vicarius Generalis, Vicarii Foranei, Parochi, omnesque, qui curam habent animarum, Capitulum Ecclesiae Cathedralis et Canonici Collegiatarum, Abbates saeculares et regulares, qui capitulis generalibus non

subduntur, omnesque superiores exempti. Vide Benedictum, et Tridentinum. Hi omnes debent interesse Concilio, et nisi adsit justa causa in Synodo probanda, Ecclesiasticis censuris possunt mulctari, atque cogi.

IX. In Concilio Episcopali de iis agitur, quae ad Dioecesim pertinent, missarum honorarium praefinitur, quod vulgo dicitur *Taxa Synodalis*, rectae Sacramentorum administrationi consulitur, tolluntur abusus, qui in mores atque in disciplinam irrepserunt, ac demum Examinatores, ac Judices synodales numero saltem senario eliguntur. Sunt examinatores synodales, qui scientia, et moribus aliis praecellunt, atque ex ipsis tres tantum una cum Episcopo eorum examen instituunt, qui ad paroecialem Ecclesiam adspirant, vel ad aliquod beneficium, quod ex regulis Ecclesiasticis examen vel concursum desiderat. Judices vero synodales, quos personatu, vel dignitate, vel Canonicatu praeditos vult Bonifacius VIII., sunt, quibus causae a Sede Apostolica possunt committi. Hodie vero, rarioribus factis conciliis, Examinatores ac Judices extra Synodum cum Capituli consensu, venia a Congregatione impetrata, eliguntur.

X. Episcopus tantummodo sedet in Synodo, ut Judex, ceteri vero ut ejus Consiliarii, atque Assessores; nec potest acta synodi publicare, nisi prius a Sacra Congregatione fuerint probata. Facta autem promulgatione, omnes, qui sunt in Dioecesi parere tenentur, non esclusis Capitulis Canonicorum exemptis, ut patet ex Tridentino de Ref. Sess.XXV.cap.6.

XI. Nec praetereunda omnino sunt Concilia perpetua, ac mixta. Prima extabant olim apud Patriar-

cham Constantinopolitanum, quibus nuperrime referri possunt Congregationes Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium. Altera vero a Regibus habebantur, et ex Episcopis, Abbatibus, et Regni Proceribus constabant. In his Regni comitiis, quae circa Ecclesiastica negotia versabuntur, definiebant Episcopi, et nomine Regum per varia capitula promulgabantur; hinc Regum praesertim Francorum Capitularia, de quibus saepe loquitur Jus Canonicum.

XII. Sed, praeter Canones Conciliorum, ad jus Canonicum referuntur etiam Pontificum rescripta. Sicut enim generales Pontificum constitutiones dicuntur decreta et decretales, de quibus alibi diximus, ita quae certam causam, locum, tempus, ac determinatam personam respiciunt, appellantur rescripta. Igitur Apostolica *rescripta* dicuntur *Romanorum Pontificum Epistolae, quae vel ad lites ordinandas, vel ad largienda beneficia, aliquo rogante, emittuntur.* Illa *justitiae*, haec *gratiae* rescripta appellantur. Ut autem haec rescripta plenam vim habeant, necesse omnino est, vera esse narrata, cunctaque ingenue patefacta; quare per subreptionem, aut obreptionem impetratum rescriptum irritum est ac nullum, cum nimirum aliquid falsi narratum est, aut praetermissum veri quod omnino narrari oportebat; modo tamen ob ignorantiam, vel simplicitatem non acciderit; extra hunc casum, qui impetravit, in suae perversitatis poenam nullum ex his litteris commodum consequi debet. Sed haec fusius vide apud Fagnanum tit. de Rescriptis.

XIII. Ad rescripta referuntur etiam *Privilegia* quae sunt *leges privatae in beneficium alicujus personae, vel comunitatis*; in primo casu dicuntur per-

sonalia, et temporalia sunt; in altero dicuntur realia, et sunt perpetua; sunt etiam privilegia localia, quae videlicet locum afficiunt, et etiam perpetua considerantur. Illud hic animadvertendum, quod privilegia strictam accipiunt juris interpretationem, quando juri communi adversantur, vel cum alterius jus laedunt, et sunt nulla, etiam a miserabilibus hominibus obtenta, quando ex privilegio alicui injuria irrogatur. Extra hos casus latissime interpretari licet; *beneficium enim imperatoris*, *quod a divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur*, *quam plenissime interpretari debemus*, ait L. III. de Const. Princ.

XIV. Restat modo, ut de consuetudine dicamus; definitur autem *consuetudo*, *usus longaevus*, *qui vel deficiente lege*, *vel contra legem*; *summa ratione obtinuit*; haec autem consuetudo, vel *generalis* est, vel *particularis*; illa in omnibus, haec in quibusdam Ecclesiis obtinet. Ita ex generali consuetudine, Christiani die Dominico stantes orabant; et ex peculiari Ecclesiae Romanae consuetudine Sabbati jejunium servabatur; hine duplex consuetudinum species, vel *praeter*, vel *contra legem*; hoc pacto quaedam veteris disciplinae capita ex consuetudine mitigata, vel relaxata fuere; sicut hodie non amplius obtinent solemnes poenitentiae stationes, aliaque antiquitatis instituta contrariis moribus exoleverunt. Sed quatuor conditiones requiruntur ad consuetudinem habendam, videlicet tacitus populi consensus, legislatoris tolerantia, temporis diuturnitas, et cum ratione consonantia.

XV. Et ad primum quod attinet, nisi populus tacite consentiat, ut consuetudine obstringatur, haec

nullo umquam pacto locum habebit. Quapropter consuetudo vim nullam habet, si quid populus agat voluntarie, sed sine animo obligationis suscipiendae, quemadmodum pii quidam, diuturnique usus jejunandi aut orandi, cum desit populi voluntas, nullam obligationem inducunt; ad alterum quod pertinet, manifestissimum est, cum populus potestatem non habeat ferendi leges, non potest seipsum obligare, nisi legislator saltem tacite consenserit. Quoad vero temporis diuturnitatem, tacente jure Canonico, in varias partes scinduntur eruditi; quidam ad stabiliendam consuetudinem requirunt decem annos, sicut in Jure civili; quidam vero quadraginta, sicut in praescriptionibus contra Ecclesiae bona; si aliquid inter ipsos mutare licet, satius videtur dicere in consuetudine praeter legem sufficere decem annos; quadraginta vero requiri, quando de consuetudine agitur, quae est contra legem. Denique, nisi ratione suadente, consuetudo recipi non potest; cum enim lex sit ordinatio rationis ad bonum comune, quando vel ratio in consuetudine ordinata non est, vel bonum commune non obtinetur, consuetudo vim legis habere non potest. Ad rem Divus Thomas 1. 2. 97. artic. 3. *Cum adhuc manet ratio, propter quam primo lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.*

XVI. Hinc non valet consuetudo: 1. quae juri naturali ac divino repugnat, sicut simonia in beneficiis, provocatio ad duellum, usus spectaculorum in Ecclesia etc.; 2. qua quis ad peccandum, sive ad bona dissipanda inducitur; 3. qua laeditur Ecclesiastica libertas, et immunitas, et generatim qua Ecclesiae gravamen infertur; 4. qua morum correctio im-

peditur, vel turbatur Ecclesiae hierarchia. 5. quando legislator espresse prohibet suas leges ex contraria consuetudine posse abrogari; hoc pacto decreta Tridentini contraria consuetudine tolli non possunt, sicut patet ex constitut. Pii IV. *in Principis.* Omnibus hisce casibus consuetudo non valet juxta illud: *vetus consuetudo*, (mala) *vetus error.* Sed quatuor supradictis conditionibus munita, ex jure canonico, et civili consuetudo locum obtinet legis, sicut habetur ex integro Decretalium titulo: *De consuetudine*, et ex 32. et 33. §. de Legibus; in quibus haec habentur: *rectissime illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.*

CAPUT IV.

DE PROMULGATIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM, NECNON DE REGIO PLACITO.

I. Ex hactenus constitutis satis superque demonstratum est, Ecclesiam perfectae societatis rationem habere, statum esse inaequalem, atque a Civili Societate ex sui natura prorsum independentem, ejusque Gubernatores, ac praecipue Pontificem Summum, sive per se, sive in Concilio, potestate regendi populum ornatos esse non solum docendo, et Sacramenta ministrando, verum etiam praecipiendo, atque obstinatos, renitentesque homines convenientibus sibi poenis puniendo. Quare Pastorum jurisdictio tam ad internum forum sese extendit, quam ad externum; sed quomodo qui legem ignorat, ali-

qua religione ad ejus observationem potest obligari? Itaque necessaria est legum promulgatio, ut ipsae suam vim habeant. *Leges enim sacratissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi, praescripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.* Leg. IX. cod. de Legibus. Hinc S. Thomas sic ratiocinatur 1. 2. q. 90. art. 4, *Lex imponitur aliis per modum regulae et mensurae. Regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his, quae regulantur, et mensurantur. Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod adplicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent; talis autem adplicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem.* Sane vero Siricius Papa, cum consultationibus Himerii Tarraconensis Episcopi graviter respondisset, praecepit, ut Hispanis Episcopis decreta sua insinuet, ne in posterum ignorantia juris se possint tueri. Eadem ratione usus est Innocentius I. ad Exuperium Tolosanum Episcopum, Zosimus ad Arelatensem, et Leo ad Forojuliensem. Nec aliter sese gesserunt Concilia; nam Patres Nicaeni litteris perscriptis, voluerunt suos canones Ægyptiis Episcopis promulgari, aliisque, qui synodo non interfuerant, et Concilium Tridentinum, cap. 1. de Reform. sess. 24. cum matrimonia clandestina rescidisset, decreto suo vim nullam esse voluit, nisi post triginta dies a die publicationis.

II. Facta autem legitima et sufficienti promulgatione legis, ita ut ejus notitia moraliter valeat ad

universos populos, pro quibus fertur, pervenire, post duorum mensium intervallum incipit obligare, quod habetur tum ex jure Romano Nov. 66. tum ex jure Pontificio Cap. ult., *Ne Clerici vel Monachi*, dummodo aliter expresse statutum a legislatore non fuerit. Illud porro certissimum est, canones Synodi dioecesanae *statim* a promulgatione obligari, quod edixit Benedictus XIV. *De Synodo Dioecesana.*

III. Nec populi consensus expectandus est post legis promulgationem, ut ipsa lex obliget, sicut, damnando contrariam sententiam, Alexander VI. an. 1665 definivit; quod de civili, atque Ecclesiastica potestate pariter intelligitur. Non est enim potestas, nisi a Deo, et sicut Regibus totius reipublicae salus a Deo commissa, ita Ecclesiae, ejusque capiti totius Christiani populi sollicitudo concredita. Ferendarum itaque legum, canonumque condendorum auctoritatem penes Principes qua saeculares, qua Ecclesiasticos esse, nemo unus debet dubitare.

IV. Sunt quibus, vel quia animum erroribus occupatum habent, vel improbitate, illa opinio placet, quae sub praetextu, ut videat Princeps ne Respublica aliquid detrimenti capiat, Ecclesiasticas sanctiones civili potestati subjicere non veretur. Sed ecquis tandem potest esse metus ne catholicae quae palam proponuntur veritates turbas excitent, statumque reipublicae pervertant? Nulla vera doctrina, inquit Puffendorfius ipse, de jur. nat. et gent. lib. IV., paci repugnat; quae paci repugnat vera non est, nisi etiam pax et concordia contrariae legibus naturalibus dicantur. Si ergo catholicae Ecclesiae doctrina vera est, sicut ex fide habetur, nulla potest esse ex ejus publicatione civili potestati injuria; non enim

leges, quae pertinent ad Religionem integram, inviolatamque servandam nocere Reipublicae possunt, neque de his rebus Ecclesiae judicia a civili potestate expendenda, et approbanda sunt. Hinc Ecclesia omni aetate suo jure usa est ferendi et promulgandi leges, idque defendit ac firmissime retinuit cum quis liberam hujus promulgationis auctoritatem eripere conatus est. Hoc pacto Arianos, Nestorianos, Monothelitas, Iconoclastas, inconsulta civili potestate, damnavit; e contrà Zenonis, Heraclii, atque Constantis in rem Ecclesiasticam edicta acriter impugnavit. Quod si ex promulgatione veritatis exeitentur turbae, non ex ipsa oritur veritate, sed ex hominum malitia, quos coercere politicae potestatis est. Nam, si explicandi dogmatis, moresque corrigendi, potestatem Ecclesiae adimimus, propterea quod excitentur turbae, nulla jam amplius erit auctoritas, quae ei a Deo data est, quaeque a nemine pendere debet. Ergo Synedrium, et Principes Synagogae Apostolos inhibere potuerunt, ne Christianam Religionem praedicarent, quoniam ipsis Christi resurrectio turbarum causa, tumultique videbatur, eorumque regnum in Hebraeos arma Romanorum movere poterat. Quo, quid magis impium dici potest?

V. Neque solum in iis quae ad Fidem attinent, verum etiam quae ad Ecclesiasticam disciplinam spectant, unius Ecclesiae administratio est. Quod eruitur ex missione per quam Christus Apostolis, eorumque successoribus ipsam potestatem attribuit quam a Patre acceperat, et eos cum omni auctoritate regere Ecclesiam voluit. Nulla esset haec potestas, nisi explicaretur per leges, in quibus et recti praeceptio, pravique depulsio, et tota reipublicae gubernatio

*

continetur, neque hae leges valerent, nisi palam proponerentur subditis, qui parendi necessitate tenentur. Ita Ecclesia suas condit, et promulgat leges, uti suas civilis respublica, et eas etiam, in quibus Ecclesiae disciplina comprehenditur.

VI. Jam vero regium placitum eo spectat, 1. tueri et juvare auxilio suo, ut quae ab Ecclesia sancita, mandataque sunt exitum habeant faciliorem, sicut patet ex vetustioribus Conciliis, Constantinopolitani videlicet primi, et tertii, Ephesini etc. in quibus Episcopos, Imperatores rogasse constat, ut quae in Conciliis constituta fuere suum robur obtinerent adsensu pietatis eorum; 2. saeverioribus temporalibus poenis cogere eos, qui Ecclesiae leges contemnunt, ejusque lenitate abutuntur, sicut patet ex iis, quae in Constantiensi synodo gesta sunt; 3. animadvertere, ne in iis quae ad exteriorem politiam pertinent aliquid per Apostolicas litteras impetretur, quod laboret subreptionis vel obreptionis vitio, cum evidenti partium detrimento, ac notoria justitiae offensione, quod ortum praecipue habuit tempore schismatis in electione Urbani Papae VI. Quod Principis officium tantum pertinet ad Ecclesiae praesidium ac defensionem, nullam vero in ipsam Ecclesiam potestatem attribuit, ut filio nulla potestas est in matrem, quam cogit defendere ipsa lex naturae.

VII. Quibus constitutis, facile est judicare, defensionem, seu tuitionem Ecclesiae, ejusque canonum, quam princeps ei tribuit, nihil aliud esse quam munus nobile, et praeclarum, quo ipse fungi debet, ut omni ope tueatur Ecclesiam. Atque hoc pacto acceptum regium placitum, sive regium exequatur, nihil est aliud, nisi *Regis, ejusque Sanctioris Con-*

silii decretum, *quo Apostolicae litterae in Regno publicari*, *atque executioni mandari jubentur.* Quamobrem Benedictus XIV, inter secretos articulos Concordati, quod cum Carolo Rege iniit, consuetudinem Regii exequatur abs re Ecclesiastica non putavit, quod confirmatum postea fuit in Conventione anni 1818, art. XXIII.

CAPUT V.

DE INTERPRETATIONE, ABROGATIONE, ET DEROGATIONE CANONUM.

I. Definitur interpretatio: *legis et canonis obscuri per aliud declaratio*; ex quo prima fronte apparet, nullum interpretationi locum esse, ubi canonis vel ipsius legis verba obscura non sint. Et quamvis nonnulli Canonistae quadruplicem interpretationem admittant, authenticam, videlicet, usualem, juridicam, et doctrinalem; attamen, ut recte observat Fagnanus, haec divisio respectu *efficientis* interpretationem locum habet, quae potest in infinitum multiplicari, non autem ex parte *ipsius interpretationis*, quod est proprie interpretatio. Unde rectius dividitur in *literalem et philosophicam*; prima tantummodo sistit ad verba, altera vero verborum vim, atque legislatoris mentem interpretatur: scire enim leges, non est verba earum tenere, sed vim et potestatem intelligere, inquit Vulpianus; et Caelestinus Papa (*can. XI. q. 5 C. XXII*) dicit: *non debet aliquis verba considerare*, *sed intentionem*, *et voluntatem; quia non debet intentio verbis deservire*, *sed verba intentioni.* Quibus praemissis, de recta interpretatione legum sequentes Canones habetote.

1. Canon: *attendenda in primis epocha, in qua conditus fuit canon, ut apta vocabulis significatio tribuatur.* Vox e. g. *Dioecesis* alio, atque alio modo primis Ecclesiae saeculis intelligebatur, ac nunc; nam olim congregationem diversarum Provinciarum significabat, nunc vero variarum Paroeciarum unionem sub uno Episcopo denotat; idem dicas de vocabulis: *Communio, Missa, viaticum etc.*

2. Canon: *Quando agitur de canonibus in Graeca Ecclesia exaratis, recurrendum ad originales textus, ut recta illorum intelligentia habeatur;* tum quia translatio de una in aliam linguam natura sua difficilis est, tum quia scriptores qui huic translationi incubuerunt, vel ob ignorantiam, vel quia Graecam disciplinam latinae Ecclesiae accomodare volebant, saepe saepius infideles sunt, atque erronei; sicuti videre est apud Martinum Bracarensem, aliosque.

3. Canon: *Ut recta canonum notio habeatur, attendendus pariter scopus, occasio, circumstantiae.* Quibus rite perpensis, facile quae sit canonis natura ac potestas intelligitur. Hoc pacto dignoscitur, quare canones poenitentiales tertio et quarto Ecclesiae saeculo viguerint, nunc vero penitus fuerint abrogati; idem dicas de aliis sexcentis.

4. Canon: *Consuetudines illorum temporum, quibus canones exarati fuerunt, et opiniones illorum hominum, ex quibus prodierunt, omnino spectandae.* Quamvis enim fides una sit, immobilis, atque immutabilis, tamen disciplina cum possit variare, attendendum, quaenam essent opiniones temporum, atque illorum hominum, qui canones condiderunt. Unaquaeque enim aetas suas opiniones habet, suasque consuetudines, quae si a Canonista specten-

tur, optimam Canonum intelligentiam consequetur, licet verbis intricatioribus fuerint expressi.

5. Canon: *Decretalium fontes adeundi*, *unde deprompta fuerunt fragmenta.* Nam antecedentibus, et consectariis rite expensis, facile quae sit canonum natura dignoscitur: saepe enim auctores, fragmentis relatis, omnia confecisse videntur; sed canones inde deprompti oscuri sunt, quia neque occasio, neque scopus prima fronte intelligitur; ex quo oritur necessitas ad fontes recurrendi, sicut de Gregoriana collectione satis alibi diximus.

Dicamus modo de abrogatione, et derogatione canonum. *Abrogatio est totius legis abolitio*, *derogatio est legis imminutio in aliqua sui parte;* de quibus hae regulae servandae sunt.

1. *Quando agitur de canonibus qui praescribunt ea quae ad jus vel naturale*, *vel divinum pertinent*, *nullus abrogationi*, *vel derogationi locus.* Jus enim natûrale, vel divinum est immutabile, nec a contraria consuetudine potest derogari, sicut apparet de Canonibus qui incontinentiam, avaritiam, ambitionem vetant.

2. *Cum canones continent partim ea quae juris naturalis sunt vel divini*, *partim quae sunt de jure humano*, *non possunt abrogari vel derogari*, *nisi in his quae juris humani sunt.* Illud enim immutabile est, istud autem mutabile, sicut canones vetantes clericis e. g. simoniam, usuram etc., sub poena alicujus censurae, possunt utique abrogari relate ad istam quae juris humani est; sed in iis quae prohibent suum semper habent vigorem.

3. *Canones*, *qui disciplinam respiciunt possunt abrogari*, *nisi ea disciplinae capita contineant*,

quae vitam et honestatem Clericorum respiciunt. De illis enim valet adagium: *canones per consuetudinem abrogari;* de istis autem praedicari potest ista Sancti Thomae sententia: *Si maneat ratio eadem, propter quam lex primo utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.*

4. *Canonis in praesumptione fundati obligatio cessat, quando de contraria constet veritate*; unde illud: *cedit praesumptio veritati.*

5. *Cessante causa et fine legis, cessat et ipsa lex.* Exemplum habemus in Canone illo Apostolico de abstinentia a sanguine et suffocato; cum enim ideo conditus fuerit, ut Judaei facilius ad Religionem converterentur, et Synagoga, teste Augustino, honorificentius tumularetur, hinc cessante hac causa, cessavit pariter canonis obligatio, quamvis Apcstolicus esset.

6. *Consuetudini legitime introductae, nec per legem Pontificiam derogatur, nisi de ea expresse fiat mentio*; quod clare constitutum habetur in Cap. 1. De Const. in VI. Vide in calce hujus tractatus, in quo alia Ecclesiastici, civilisque juris aphorismata continentur.

INSTITUTIONUM
JURIS CANONICI

LIBER PRIMUS

PARS ALTERA.

CAPUT I.

DE DIVERSIS CHRISTIANORUM ORDINIBUS.

I. Varios in Christi Ecclesia esse ordines, ex quibus alii praesunt, alii autem subsunt, manifesta res est. Ex quo enim societas est, nullaque potest esse societas, nisi varii gradus in Societate ipsa existant, sicut in prima parte uberius diximus, idem pariter de Ecclesia dicere oportet. Hinc in duos Ordines Christiani omnes recte et universaliter dispescuntur, ex quibus alii sunt *Clerici*, ceteri *Laici* nuncupantur.

II. Clerici a graeca voce *κλῆρος*, *sors*, nuncupati, vel quia *de sorte Domini sunt*, *vel quia Dominus sors*, id est *pars illorum est*, dicuntur ii qui aliquod publicum munus in Ecclesia gerunt, sive praesint, sive ministrent. Antiquitus dicebantur etiam *Canonici*, quia in Ecclesiae *Canone*, *sive Albo*, *sive Matricula*, *sive etiam Tabula* scribebantur; sed hodie hoc nomine insigniuntur ii, qui a psallendo Canonici nuncupati, Cathedrali Ecclesiae inserviunt, et proximius Episcopo adhaerent.

III. At laicorum nomen a graeca pariter voce λάος, *plebs*, a primis usque Ecclesiae saeculis tributum est iis, qui cum nullo munere in Ecclesia fungantur, veluti plebem in Ecclesia ipsa constituunt. Dicti pariter fuerunt *idiotae*, non quia essent *indocti*, sed quia, nullo munere insigniti, privatam vitam in Ecclesia agebant.

IV. Laicos autem esse a Clericis distinctos jure divino, contra Lutherum, atque Protestantes omnes manifeste e Scripturis et Traditione eruitur, ita ut caeci omnino sint qui contrarium sustinent, quasi Christus plebi potestatem reliquerit sibi eligendi ministros, vel tantummodo sit de jure Ecclesiastico constitutum. Etenim Paulus, de Ecclesiae ministris alloquens, ait 1. ad Corinth. XII. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos etc. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae?* Et adhuc clarius Act. XX. 28. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ex quibus auctoritatibus eruitur differentiam inter Clericos et Laicos non ex humana, sed ex divina prorsus institutione manare.

V. Sed et accedit traditio; nam Ignatius Martyr, primo Ecclesiae saeculo, laicos jubet nihil agere, *inconsulto presbyterio*, epist. ad Magnes. n. 7. Tertullianus in libr. de praescript., Cap. XLI. inter haereticorum errores illum enumerat, quod apud istos *alius hodie Episcopus, cras alius, hodie diaconus, qui cras lector, hodie presbyter, qui erit cras laicus; nam et laicis sacerdotalia munera injungunt.* Denique Clemens Alexandrinus refert (*in libr. quis dives salvetur?*) Joannem Apostolum e Patmo insu-

la rediisse Ephesum, *partim ut Episcopos constitueret, partim ut integras Ecclesias formaret, partim etiam, ut unumquemque eorum, quos Spiritus Sanctus designasset, in Clerum cooptaret.* Quibus omnibus adde, numquam in Ecclesiasticis monumentis lectitatum fuisse, Clericos a plebe constitutos. Stat igitur laicos divino jure esse a Clericis distinctos.

VI. Jamvero Christus, qui Ecclesiam instituit, hominum videlicet Societatem, cujus finis est salus aeterna, duo curare debuit, sicut revera curavit, ut scilicet societas optime regeretur, et spiritualibus bonis abundaret; hinc non omnes clerici aequali pollere debent potestate, unde oritur hierarchiae necessitas, et ex fide definitum est a Tridentino Sess. XXIII. can. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, et Presbyteris, et Ministris, anathema sit.*

VII. Haec autem hierarchia bifariam dividitur; alia quippe est hierarchia *ordinis*, *alia jurisdictionis*; prima ad rectam Sacramentorum administrationem ordinatur, altera vero ad optimam Ecclesiasticae societatis gubernationem. Apposite S. Thomas 2. 2. quaest. 9. art. 3.; idem part. 3. q. 63. art. 2. *Duplex est*, inquit ille, *spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionis. Sacramentalis quidem potestas est, quae per aliquam consecrationem confertur, et talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus quamdiu vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur. Tamen haeretici et schismatici usum potestatis amittunt, ita scilicet, quod non licet eis sua potestate uti; si tamen usi fuerint, eorum po-*

testas effectum habet in sacramentalibus. Potestas autem jurisdictionis est, quae et simplici injunctione hominis confertur. Et talis potestas non immobiliter adhaeret, unde et in schismaticis et haereticis non manet, et ideo non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi. Quod si fecerint, nihil est actum.

VIII. Ad hierarchiam ordinis quod spectat, ex tribus gradibus constat, sicut vidimus ex Tridentino, Episcopis, Presbyteris, et Ministris. Quam veritatem Aetius, quarto Ecclesiae saeculo, et postea Wicleffus, ac denique Calvinus oppugnarunt, dicentes, Episcopos non esse jure divino Presbyteris superiores. Sed manifestissima sunt Scripturae testimonia, quae contrarium asserunt. Christus enim solis Apostolis, quorum sunt successores Episcopi, dixit Joan. 20, *sicut misit me Pater, ego mitto vos.* Adde quod in Actibus Apostolorum 8. vers. 14 et sequent. legitur, solos Apostolos fideles omnes in fide confirmasse, et Paulus soli Tito, quem Episcopum constituerat, imposuit, ut Presbyteros ordinaret. Si igitur Ecclesiae administratio, confirmatio, atque ordinatio ad solos Episcopos pertinet, non autem ad Presbyteros, et hoc utique ex ordinatione divina, manifeste eruitur Episcopos esse superiores Presbyteris jure divino.

IX. Idem dicas de facultate regendi, judicandi, corrigendi Presbyteros, solis Episcopis facta; quod non esset, si nulla praeeminentia in Episcopis esset. Legitur enim Act. Apost. 20, *attendite vobis et universo gregi, in quo posuit Spiritus Sanctus vos Episcopos regere Ecclesiam Dei*, et alibi Apost. ad Tit. 1. *reliqui te Cretae, ut ea quae desunt, corrigas*, ac demum Apost. ad Timoth. 5. *Adversus Pre-*

sbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus.

X. Nec sese opponit traditio; unum vel alterum antiquissimum Ecclesiae Patrem seligamus: Ignatius martyr in epistola ad Ephesios ait: *Episcopi per terrae terminos definiti ex Jesu Christi sunt sententia, unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere;* et Cyprianus ita loquitur Epist. 37 ad lapsos: *Dominus noster, cujus praecepta metuere et observare debemus, Episcopi honorem, et Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro: ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio, et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnes actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse: quando Ecclesia in Episcopo et Clero, et in omnibus stantibus sit constituta.* Merito igitur Tridentina Synodus definivit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem ordinandi, et confirmandi, vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.*

XI. Sed praeter hierarchiam ordinis, adest etiam in Ecclesia, sicut superius diximus, jurisdictionis hierarchia; in illa tres diximus esse gradus ex divina ordinatione institutos, in hac vero sunt duo, videlicet Papatus, et Episcopatus; Summus Pontifex, Petri successor potestatem habet super omnem Ecclesiam, Episcopi peculiarem habent gregem, quem pascant dependenter a Petro; quo quidem pacto et unitas regi-

minis in tota Ecclesia servatur, et fidelium bonum magis magisque promovetur.

XII. Quamvis autem potestas capitis, et primatis Ecclesiae numquam possit mutationem habere; attamen Episcoporum jurisdictio, cui nulli ex divina institutione constituti sunt certi limites, potest quandoque variare. Christus enim voluit Episcopos jurisdictionem habere, sed minime quoad singulos, fines, modumque definivit, sicut voluit Pontificem jurisdictionem habere super omnem Ecclesiam. Si igitur sunt alii in Ecclesiastica hierarchia jurisdictionis gradus, sicut Patriarchae, Primates, Esarchi, Archiepiscopi, seu Metropolitae, nonnisi ab Ecclesiastica institutione originem ducunt. Hinc, quamvis Episcopi omnes, pares inter se ordine sint, superiores tamen sunt gradu et jurisdictione. Videamus modo peculiariter jurisdictionis, et ordinis hierarchiam.

CAPUT II.

DE ROMANO PONTIFICE.

I. Constitutae a Christo Societatis praecipuum fundamentum est unitas, omniumque partium, ex quibus constat, mira consensio. Ad hanc individuam consociationem perpetuandam, Petrum aliis Apostolis anteposuit Christus, eique potestatem dedit pascendi gregem, statuitque notam unitatis Ecclesiae, in quam omnes inimicorum conatus irritos futuros esse promisit. Haec omnia perspicua fiunt ex divinis litteris, ubi Matth. 16 legitur: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est*; *et ego dico tibi*,

quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves Regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis; et apud Joannem 21. *pasce agnos meos, pasce oves meas*, et apud Lucam 22. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

II. Non ignoro etiam Apostolis traditam a Christo gubernandae Ecclesiae auctoritàtem, tamen hanc curam Petro specialiter concreditam palam faciunt citati textus, qui singulariter et nominatim ad Petrum referuntur. Quare Cyprianus, de unitate Ecclesiae scribit: *hoc erant utique ceteri quod fuit et Petrus, pari consortio praediti honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, et Petro primatus datur, ut Ecclesia una, et cathedra una monstretur.* Tota antiquitas hac in re consentit, et sola levitas, aut novandi cupido movit Graecos, et Lutherum, atque Calvinum cum suis, ut jurisdictionis, unitatisque praestantia adempta Petro, facilius sibi viam pararent ad oppugnandam dignitatem et jurisdictionem istam, quibus Romani Pontifices, Petri successores, reliquis Episcopis Apostolorum locum tenentibus excellunt. Christus non ad ornandum Petrum primatum instituit, sed ad Ecclesiae conjunctionem stabiliter conservandam Petrum elegit ceterorum caput, et solida unitas parem auctoritatem successoribus Petri necessariam esse commonstrat. Abstineo ab afferendis monumentis, quae eximii viri protulerunt; nunc aliquam ope-

ram confero in explicando Primatus naturam, atque multiplicia jura, quibus ornatur.

III. Praestantia primatus maxime declaratur ex consultationibus, seu relationibus ad Romanam Sedem. Ad hanc utique Sedem referendnm esse docent Sardicenses Patres, et relatum fuisse probant veterum Pontificum litterae, quibus consultati respondent; quinimmo ipsemet Justinianus monet Epiphanium, Constantinopolis Episcopum, certiorem de iis quae pro Ecclesia decreverat, facturum Romanum Pontificem, quia caput est Sanctorum Dei Sacerdotum (*Leg. 7. Cod. de Sum. Trinit.*). Quapropter gravia negotia, uti fidei, et implicata disciplinae capita, ante vel post Concilium, delata perpetuo sunt ad Romanam Sedem, eo quod *ad hanc Ecclesiam*, ut scribit Irenaeus (*Lib. III. adversus haereses cap. 3.*) *propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam.*

IV. Cum eminentia Primatus cohaeret potestas ferendi leges ad universam Ecclesiam pertinentes, quibus fidei puritas, morum integritas, disciplinae capita declarentur, firmentur, statuantur. Hanc jurisdictionem constanter exercuere Pontifices, ut ex eorum litteris apparet, quae fastis Ecclesiae includuntur.

V. Inter jura Primatus Natalis Alexander, Christianus Lupus cum aliis appellationes ad Romanam Sedem in gravibus causis rectissime referunt. Ast Petrus De Marca, Dupinius, aliique Scriptores a Sardicensibus canonibus anno 347 statutis eam facultatem repetunt. Ut enim in officio Ariani continerentur, et ut amplius Romana Sedes honoraretur, potestatem factam esse volunt provocandi a Conciliis Provinciae ad Romanum Pontificem, obtinendique veniam iterum agendi

causam in Provincia coram Episcopis finitimae Provinciae, et etiam mittendi Pontificios legatos, cum antea causa quae universam non spectaret Ecclesiam, in Provincia omnino judicaretur. Concludunt igitur, nonnisi Arianam factionem permovisse Sardicenses Patres ut permitterent, post judicium Provinciae, perfugere ad Romanum Pontificem, qui miseris, afflictisque Episcopis subveniret.

VI. Verum aetate Sardicensis Concilii appellandi usus succrevit, et temporis intervallo res processit, ut majores in aliqua Provincia causae ante quamlibet Provincialis Synodi sententiam deferrentur ad Romanum tribunal. Ceterum jus perfugii et appellationis ad Romanam Sedem semper patuisse Episcopis injuste oppressis certissimum est, quod ex ipsa ratione Primatus, et ex constanti consuetudine etiam ante Sardicensis Concilii tempus manifeste eruitur. Marcion depositus, a Patre Episcopo Sinopensi, ad Romanam Sedem appellavit; idem fecit Privatus, Episcopus Lambesitanus, depositus a Donato Episcopo Carthaginensi, atque Africae Primate, idem etiam Fortunatus et Felicissimus, Basilides et Martialis, aliaque secundi et tertii saeculi exempla demonstrant non ex Sardicensi Concilio, sed ex ipsa ratione primatus appellationum jus Romano Pontifici competere.

VII. Dignitas primatus affert Pontificibus gravem curam custodiendi Sacros Canones. Hanc sollicitudinem sibi impositam, et diligenter adhibendam verbis et factis ostenderunt Pontifices; ita Innocentius I. in causa Chrysostomi, quem Theophili factio sua sede spoliaverat; ita Leo Magnus, repudians vigesimum octavum Canonem Chalcedonensem ob veterum Canonum defensionem; hoc idem Gregorius Magnus fre-

quentissime repetit in suis litteris. Attamen ob publicum bonum, aut necessitatem, sacras leges disciplinam spectantes possunt laxare Pontifices, et hanc auctoritatem exercuerunt Sirycius in Flaviano Antiocheno, Leo I. in Anatolium, aliique non pauci.

VIII. Generalia Concilia indicere possunt Romani Pontifices, tantaque potestas fluit ex primatu eis a Christo Domino ad Societatem tuendam, et custodiendos canones tradito. Et quidem, sine ulla controversia convenit inter Auctores Occidentis generales Conventus a Pontificibus convocatos fuisse. Octo priora generalia Concilia Imperatores Orientis materialiter tantum convocarunt, prius tamen a Romanis Pontificibus indictione obtenta; nec Pontificibus displicuit, qui Imperatorum opera indigebant. Hinc passim recepta a Theologis et Canonistis distinctio *convocationis*, *et indictionis*, illa quandoque Imperatorum fuit, haec, quae proprie jus est, nonnisi ad Pontificem pertinet, semperque pertinuit.

IX. Praesunt quoque Pontifices generalibus Conciliis, vel per se, vel per suos legatos cum praerogativa suffragii. Sic Hosius, Vitus, et Vincentius Nicaeno, Cyrillus Ephesino, Pascasius et Lucentius Chalcedonensi Concilio fuerunt Praesides, personam Pontificis repraesentantes; et Lateranensibus Conciliis Pontifices ipsi praefuerunt. Hoc ipsum de ceteris Conciliis ex tota Ecclesia collectis monumenta certissima declarant. Ad extremum Pontifices generalia Concilia approbant, juxta illud Christi Domini, *et tu aliquando conversus*, *confirma fratres tuos*. Revera Nicenum I. confirmavit Sylvester, teste Romano Concilio anni 485, Ephesinum Caelestinus, Chalcedonense Leo Magnus, Vigilius quintum, Leo secundus sextum,

Hadrianus I. septimum, Hadrianus II. octavum generale Orientis, quod de posterioribus facile demonstratur.

X. Ad solum Pontificem pertinet, ratione pariter primatus, sedium Episcopalium institutio, unio, divisio, translatio, suppressio; necnon Praelatorum postulatio, postulationis admissio, et Episcoporum translatio; non enim Episcopus solvi potest nexu ejus, cui alligatus est, Ecclesiae, nisi ab eo qui plenitudinem habet potestatis.

XI. Denique Monasteriorum fundatio, et suppressio, Ordinum approbatio, et exemptio, datio Coadjutorum, indulgentiarum concessio, Sanctorum Canonizatio, nonnullorum casuum reservatio, atque atrocium criminum absolutio, et generatim quae sunt divini officii ad Pontificem pertinent.

XII. Hinc diversis nominibus apud veteres ipse Pontifex inclaruit, et passim appellatur Pater Patrum, Apex totius Episcopatus, Ecclesiae universalis Antistes, Caput omnium Episcoporum, et Ecclesiasticae unitatis centrum. Duo vero nomina, veluti propria Pontificis evaserunt, *Papae* videlicet nomen, ita a saeculo XI. ejus proprium, ut nemini illud assumere liceat, et aliud nempe *servus servorum Dei*, quo Gregorius Magnus, et successores Pontifices, ad frangendam Constantinopolitani Antistitis superbiam, qui Episcopi Universalis nomine gloriabatur, constanter usi sunt.

CAPUT III.

DE SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIBUS.

I. Cardinalis nomen olim comune erat Episcopis, qui stabilem sedem tenebant, Presbyteris, ac Diaconis qui alicujus certae, rataeque Ecclesiae administrationem firmiter gerebant. Ob hanc causam Sacerdotes qui Romanae urbis Parochi munus obibant, et Diaconi, qui titulis constanter inserviebant, Cardinales appellabantur; hoc modo etiam Episcopus Romanus erat Cardinalis. Verum ab octavo saeculo septem Episcopi finitimi Romanae urbis advocati sunt Romam ut Ecclesiae Lateranensi inservirent, indeque Cardinales facti. Triplicem ergo in ordinem nunc temporis distinguuntur Cardinales; nempe ex Episcopis, Presbyteris, et Diaconibus sacrum Collegium constat.

II. Varius fuit Cardinalium numerus; nunc vero sunt septuaginta ex Sixti V. decreto, qui hunc numerum selegit, veluti consonum septuaginta Moysis consiliariis, et septuaginta Christi discipulis.

III. Principio Cardinales una cum Pontifice summo Ecclesiae universae curae erant addicti, et Romanae etiam peculiariter serviebant; post seculum vero decimum crebrae et magnificae Pontificiae legationes Cardinalibus commissae, multiplicia negotia ad Romanam Sedem delata, et cum Cardinalibus agitata, electio Pontificis ipsis attributa, mirum in modum Cardinalium dignitatem extulerunt; hinc antepositi Patriarchis et Episcopis; nec immerito, cum senatum Pontificis constituant; inde quoque praecipuarum urbium Antistites in Cardinalium ordinem adscripti fuere.

IV. Ad Cardinalium excellentiam declarandam Innocentius IV. rubrum pileum, Paulus II. biretum coccineum, ac pannum rubrum, quo aequos ornarent, ac demum Urbanus VIII. Eminentiae titulum concessere. Nec defuere privilegia. Ipsi enim possunt sibi beneficia incompatibilia retinere, quousque necessarium sit et conveniens eorum dignitati; testamentum faciunt per privatam singrapham absque testibus, et nullus sine eorum consensione potest suorum familiarium beneficia obtinere.

V. Cum Cardinales antiquum Romanum Clerum repraesentent, quem in negotiis consulebant Pontifices, debent opem ferre Pontifici in totius Ecclesiae gubernatione: idcirco Tridentini Patres in Cardinalibus eligendis ea omnia concurrere volunt quae ad dignum Episcopum seligendum Canones praescribunt. Cardinales Concistoriis intersunt, et dant consilia Pontifici, gubernationem assumunt in Sede vacante et de successore eligendo deliberant, ac demum tractant negotia de quibus agitur in Congregationibus Inquisitionis, Indicis, Interpretationis Concilii Tridentini, Sacrorum Rituum, Episcoporum et Regularium etc., sicut supra satis diximus.

CAPUT IV.

DE LEGATIS, ET VICARIIS PONTIFICIIS.

I. Triplex est legatorum genus; alii *missi*, alii *nati*, alii *a latere* appellantur. Missi sunt illi quos Pontifices ad negotia fidei, vel disciplinae tractanda destinabant, quando rei gravitas postulare videbatur, uti legimus ad Ephesinum, vel Chalcedonensem missos

legatos, vel etiam ad Provinciales Synodos, uti Zosimus Pontifex ad Africanos. Nonnulli etiam ad Imperatoris aulam delegabantur, et Regiam urbem incolebant, atque Responsales Aprocrisarii dicebantur; quorum auctoritas amplior, angustiorve erat secundum procurationis mandatum.

II. Legati nati repraesentant in Provinciis ipsam Pontificis personam quoad Patriarchalia jura, eorumque dignitas adhaeret sedi, quam gubernant, et quicumque ad eam evehitur, sine speciali Pontificis facultate, officium Legati consequitur. Inter alios enumerantur Tessalonicenses in Illirico, Arelatenses in Galliis, caeteris antiquiores, postea Remensis, Siracusanus in Sicilia, Cantuariensis in Anglia, aliique. Horum Legatorum jurisdictio finitima erat auctoritati Primatum. Episcopis et Clericis in exteras nationes profecturis dabant *litteras*, quas *formatas* vocabant, Metropolitanos sibi subjectos consecrabant, nec ab istis Episcopi initiabantur sine sui notitia, Concilium indicebant, eique praeerant, negotia finiebant, curabant ut Canonibus obediretur, et de rebus magni momenti certiorem Pontificem faciebant.

III. Undecimo praesertim saeculo Pontifices frequentius Legatos mittere coacti sunt ad compescendam simoniae, et incontinentiae labem, qui, cum selecti plerumque essent e Cardinalium numero, Legati a latere nominantur, quasi a latere Summi Pontificis, cui inhaerent, essent abstracti. Eorum auctoritas ex Pontificis mandato tota pendebat, ita ut nihil certi de ea stabiliri possit, sed cum Pontifices plerumque omnem prope suam effunderent auctoritatem, peramplam omnino fuisse certa res est. Quod cum aegre tulissent Episcopi, curarunt Tridentini Patres (*Sess.*

XXIV. de Reformat. cap. 20) ne legati, cujuslibet essent generis, Episcoporum jurisdictionem impedirent.

IV. Hodie Legati a latere sunt Cardinales a Summo Pontifice in quibusdam Romanis Urbibus missi, qui praeter jurisdictionem temporalem, quaedam etiam in ordine Ecclesiastico efficere possunt. Omissis enim quae unius sunt Pontificis, possunt legati absolvere a censuris ob violentas manus Clericis injectas, possunt etiam patronatui Ecclesiastico derogare, juxta illud: *plus habet in concessione Legatus, quam in praesentatione patronus*; secus autem in patronatu laico, Ecclesias exemptas visitare, in matrimoniis dispensare, et alia multa, quae refert Fagnanus in titulo de officio Legati.

V. Apud nostrates vetustissima est legati nati potestas, quam Rogerio Comiti Siciliae, ejusque in Regno Siciliae successoribus, tribuit Urbanus II. Quam sacram jurisdictionem per Delegatum Ecclesiasticum in universam Siciliam exercuerunt Reges nostri in Tribunali, quod a Siculis *Monarchiae* nuncupatur. At ob abusus, quos irrepserant privilegium istud, et Tribunal Clemens XI. anno 1715 penitus extinxit; sed instante Carolo VI. Imperatore, renovatum postea fuit a Benedicto XIII., cujus bullam, cum ad novissimum jus canonicum apud Siculos pertineat, in appendice hujus tractatus operae pretium erit inserere.

VI. Ad legatos vero missos quod attinet, Sedis Apostolicae Apocrisarii, quos Nuntios appellamus, Religionis negotia apud Reges nostros pertractant, curant ut Concordata suum robur obtineant, in iis praesertim, quae ad res sacras tuendas et post bellicas occupationes restaurandas pertinent, sunt judices delegati

in exemptos ab Ordinariis, ac demum ob leges fundationum jurisdictionem ordinariam exercent. Neapoli super Ecclesiam Divo Jacobo Apostolo dicatam, nec non super Monasteria S. Clarae, S. Mariae Ægyptiacae, Divini Amoris, S. Francisci, vulgo *degl' Iscarioni*, seu Florentinarum, ac Jesus et Mariae ab Ordinarii jurisdictione exempta.

CAPUT V.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ET METROPOLITANIS.

I. A Legatis ad eos descendo qui praesidebant Dioecesibus, et isti dicti fuerunt Exarchae, ac demum Patriarchae a graecis vocibus πατριαρχας quasi *princeps familiae*, *cognationis*, *vel tribus*. Patriarcharum jura hisce potissimum constabant: indicebant concilia ex tota Dioecesi, Metropolitanorum electioni praeerant, ipsosque sacrabant, a Metropolitanis ad Patriarchas fas erat provocare, Metropolitani Patriarchas de rebus gravioribus consultabant, illaeque ex eorum judicio finiebantur, ad ipsos leges mittebant Pontifices in Dioecesi publicandas, tandem curabant ut Dioecesis Praesules suas partes explerent. Quare Patriarchae erant instituti ad alienam negligentiam supplendam, minime vero ad Episcoporum auctoritatem impediendam. Nec ad tantam auctoritatem ostendendam defuerunt insignia; nam ante Patriarchas ubique deferebatur Crux in sua Dioecesi, excepto eo loco, in quo erat Pontifex, vel ejus Legatus.

II. De Patriarcharum ortu certant Auctores, quorum alii ab Apostolis repetunt, quidam Nicaenis Patribus adscribunt, nonnulli Nicaeno Concilio antiquiores censent, et moribus inductos, ac demum Con-

cilium Constantinopolitanum primum tantisper antegressos, plures Eruditi opinantur. Si inter tantas opiniones aliquid dicere liceat, illa probabilior videtur, quae sustinet, Patriarchatum, cujus nomen fuit postea in Ecclesia introductum, suam originem agnoscere temporibus Apostolicis, incrementum in moribus Christianorum, variationes in canonibus diversimode in Ecclesia modificatis; *quod enim*, Augustinus ait libr. IV. de baptism. contr. donat. cap. 24. *universa tenet Ecclesia, nec in conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

III. Praecipui Patriarchae sunt Romanus Pontifex, Constantinopolitanus, Alexandrinus, qui jure veteri primus erat post Romanum, Antiochenus, et Hierosolymitanus; quibus accedunt Aquilejensis, Gradensis, qui modo Venetus appellatur, Indiarum, et Ulyssiponensis. Sextus Concilii Nicaeni Canon exaequare prima fronte videtur jura Romani Episcopi cum Alexandrino. Canon hic est: *antiqui mores serventur, qui sunt in Ægypto, Lybia, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et in Antiochia, et in aliis Provinciis sua privilegia, et suae dignitates, et auctoritates Ecclesiis serventur.* Hinc Auctores in eo explicando distracti sunt; alii illum interpretantur de jure Metropolitico, alii exponunt de Patriarcharum privilegiis, et isti iterum dissident, tum in statuenda Romani Patriarchae jurisdictione, tum in decernendis Dioecesibus, quibus praeerant.

IV. Sed certissimum est, ibi canonem non loqui de

jure Metropolitico, quia non inter Metropolitas comparationem instituit, sed inter tres Patriarchas, qui tunc in Ecclesia extabant, scilicet Romanum, Alexandrinum et Antiochenum, et nullam de Metropolitis mentionem facit. Ergo non de Metropolitanorum juribus loquitur, sed de Patriarchalibus, in quo illud etiam est notatu dignissimum est, quod postquam canon locutus fuerit de Patriarchatu Alexandrino, et Antiocheno, quod reliquum erat, dicit ad Romanum Pontificem pertinere; *quaecumque*, inquit Hieronymus, in libro adversus Vigilantium, *supersunt Ecclesiae, idest Occidentales, sunt sedis Apostolicae, Romanumque Episcopum, ut Patriarcham, agnoscunt et venerantur*. Ergo indubium videtur Romanum Pontificem Patriarchalia jura a priscis temporibus in universam Occiduam terram exercuisse. De his legite Natalem Alexandrum, Morinum, Allatium, et ea, quae in Lectionibus italico idiomate scripsimus (*Tom. 2. part. 2. lection. XI*).

V. Patriarchis contermini erant Primates qui cum Exarchis Graecorum facile conveniunt. Primates Africana Ecclesia praecipue obtinuit, et Afri in iis constituendis non urbis, sed aetatis suae ordinationis rationem sequebantur, excepto Cartaginiensi Primate, qui semper erat Episcopus Carthaginis. In Occidente post octavum saeculum, et in Galliis praesertim, plures extitere primates, ad quos multiplicandos, et confirmandos plurimum contulisse Isidori collectionem notant Eruditi. Apud nostrates Archiepiscopus Salernitanus Primatis praerogativam obtinuit ab Urbano II. anno 1099 super Metropolitas Acheruntinum, et Compsanum, instante Rogerio; sed hodie, honoris titulo ab

omnibus retento, tantum Lugdunensis Primas appellationes recipit a Galliae Metropolitanis, veramque jurisdictionem exercet.

VI. Restat modo ut de Metropolitanis dicamus. Sunt autem Metropolitani qui Metropoli, idest primariae urbi alicujus Provinciae praesunt, quique propterea quibusdam prae ceteris, et in ceteros Provinciae Episcopos privilegiis et juribus fruuntur. Episcopi vero provinciales, qui Metropolitis quodammodo subsunt, *suffraganei* ab Alexandro III appellantur. Hinc discrimen oritur inter Metropolitanum, et Archiepiscopum, primus enim jurisdictionem denotat, et dicit ordinem ad suffraganeos, alter vero honorem tantummodo significat; et ideo omnis Metropolita est Archiepiscopus, sed non vicissim.

VII. Jam vero plura antiquitus fuerunt Metropolitarum jura. Illorum enim prima cautio erat nullum magnum negotium in Provincia agendum, quin certiores ipsi forent, et consentirent. Quare Metropolitae moderabantur Provincialium Antistitum electiones, consecrationes, translationes, cessiones, bis in annum indicebant provinciale Concilium, in quo causae fidei, necnon civiles, et criminales Episcoporum, aliorumque Ministrorum judicabantur, a sententia Episcoporum ad ipsos provocabatur, aliaque magni momenti agitabantur. Generaliter vero illud praecipue commendatum erat Metropolitis prospicere, ne quid temere, negligenterque Provinciales Episcopi peccarent. Hac de causa Metropolitis libera erat facultas lustrandi Provinciam, et providendi ut Antistites rite suum munus explerent.

VIII. Octavo saeculo haec disciplina pauxillum mutata est, crevitque mutatio nono Ecclesiae saeculo

partim per civilium rerum conversionem, partim per simoniae, ambitusque labem, et sensim pedem fixit ea quae nunc tenet disciplina, ad quam retinendam presto fuerunt Canones Tridentini.

IX. Majores igitur Episcoporum causae, eorumque confirmationes, et consecrationes Romano Pontifici tribuit Concilium, nec sinit Metropolitas invisere Provinciam, nisi ex gravi causa in Concilio Provinciali probata. Attamen, licet modo Metropolitis quolibet triennio Provinciales cogere in Concilio, negligentes monere, absentes a sua sede ad residendum compellere, etiam subductis fructibus, ex Tridentino Sess. 23 de Reform. cap. 1, et ex Pii IV. Constit. de Salute Gregis. Ceterum Metropolita jure novissimo in Provinciales non exercet jurisdictionem, nisi in causis appellationis, aut devolutionis, vel in actu visitationis.

X. Locus me monet, ut de Pallio, ejusque usu breviter dicam. Pallium est in praesens exigua fascia ex candida lana contexta quatuor olim rubris, nunc sex nigris ornata crucibus, et sic elaborata, ut ad collum appendi possit, duabus juncta fasciolis, altera ad pectus, altera ad humeros pendentibus. Petrus de Marca putat, pallium olim fuisse splendidam vestem totum corpus induentem, quae tractu temporis in exiguam fasciam abierit; et singulare hoc ornamentum liberaliter impertiisse Imperatores eximiis Patriarchis et Metropolitis, nec aliis conferri potuisse sine Imperatoris assensu, cum esset Imperatoria vestis.

XI. Fallitur profecto Petrus De Marca. Hoc enim insigne libere semper Pontifices attribuisse, nec umquam a Pallio nostrae aetatis fuisse dissimile, indubia res est. Ad illud enixe petendum non ab Imperatore, sed a Pontifice Summo, necessarioque recipiendum

compulsi sunt à priscis usque temporibus Metropolitae, aliique Hierarchae, ex consuetudine, primum, postea vero ex Pontificum decreto.

XII. Enimvero ante receptum Pallium, Nicolai I. aetate, Metropolitae solum Christi corpus consecrare poterant, et sensim praevaluit opinio in Pallio Pontificalis officii plenitudinem cum Archiepiscopalis nominis appellatione conferri, ut ait Innocentius III. in capitulo tertio de auctoritate et usu pallii: ex quo conclusum fuit Metropolitas dumtaxat post acceptum Pallium posse exercere quaedam sacra munera, etsi jamdiu fuerint sacrati.

XIII. Quo autem pacto plenitudo potestatis ex Pallio fluat, diversa ratione explicant Auctores. Non improbabile sane est ex Vicariis Apostolicis manasse, quibus Romani Pontifices semper Pallium mittebant, nec obibant sua officia si Pallium non accepissent. Disjuncta Vicarii Apostolici dignitate a Pallio, plenitudo potestatis, quam a Pallio referebant Vicarii, cam esse propriam reliquorum Metropolitarum judicatum est. Illud porro exploratum; non immerito tanta necessitas Pallio imposita, ut, nempe, praecipuarum sedium Episcopi per amplius sacramentum essent primae Sedi conjuncti.

XIV. Ad sacram aram super sepulchrum Beati Petri Pallium sacratur, et ideo dicitur desumptum *ex corpore Beati Petri*, ut significetur Archiepiscopis conferri aliqua ex parte curam, quam in universam Ecclesiam exercebat Petrus, ejusque Successores.

XV. Intra tres menses a consecratione Pallium petendum est, et quidem enixe per illas formulas *instanter*, *instantius*, *instantissime*. Ex undecimi saeculi disciplina Metropolitae Romam proficiscebantur ad

Pallium expetendum; nunc etiam per Procuratorem supplicant Pontificem.

XVI. Aliquando etiam Episcopis Pallium conceditur; sed nec isti, nec Metropolitae omnibus locis, et temporibus uti debent; Metropolitae possunt Pallium adhibere intra ambitum omnium Ecclesiarum suae Provinciae: Episcopis autem permittitur intra parietes Ecclesiarum suae Dioecesis. Gregorius Magnus refert usum Pallii ad missarum solemnia, lateque exponuntur in Pontificali Romano dies in quibus licet Pallium in divinis mysteriis adhibere. Pontifici Romano in quolibet loco, et die plena potestas est utendi pallio. Pallium adhaeret personae, cui datur, ita ut nec illud alteri commodare possit, quisque cum suo pallio sepeliendus est, et ad aliam translatus sedem, novo pallio indiget. Legite Tractatores, et praesertim Bartellium, et Edmundum Martene.

CAPUT VI.

DE EPISCOPIS.

I. Episcopi, sive Inspectores, ad regendum Dei populum, et ad observandos, corrigendosque mores fuerunt a Deo constituti; hinc variis nominibus insigniti, saepe saepius audierunt sese *Apostolorum esse successores*, *et Ecclesiae Principes*, *et Summi Sacerdotes*, *et Patres Patrum*, *et Christi Vicarii*, *et Angeli Ecclesiarum.* Enimvero Christianam Rempublicam instituturus Jesus Christus, ei praeficere debuit Pastores et Gubernatores qui illam regerent, atque administrarent. Hi autem Rectores, atque gubernatores Apostoli fuerunt, quos ex discipulorum

numero elegit, ut in universum mundum Evangelium praedicarent, hominesque initiarent baptismate. Si brevi tempore duratura esset Ecclesia, sufficeret utique Apostolos constituere; sed ex ipsius fundatoris testimonio cum ea stare, et consistere debebat sempiternis saeculorum aetatibus, necessarium omnino fuit Apostolis successores assignare, qui in aeternum Apostolorum vices fungerentur, et hi fuerunt Episcopi.

II. Sane vero Episcopalis potestas origine sua nullis fuit circumscripta limitibus, cum Apostolos Christus ad praedicandum miserit in *universum mundum;* et Episcoporum Collegium suo capiti conjunctum cum universalem referat Ecclesiam, in universum orbem obtinet jurisdictionem. Semel autem circumscriptis dioecesibus, Episcopi jurisdictio, subditos in dioecesi, in qua morantur, afficit; nec ullam habere potest Episcopus jurisdictionem extra suam dioecesim, cum nullos habeat subditos. Ex quo videtur mihi expediri posse ab illa controversia, de qua tanto animorum aestu a Tridentinis Patribus actum fuit, ac res in medio relicta, *mediate* ne, an *immediate* a Christo procedat Episcoporum jurisdictio. Si enim loquatur de jurisdictione generatim affixa Episcopatui cum suo capite, indubium est, eam *immediate* a Christo descendere; si vero agatur de *jurisdictione*, quam obtinet unusquisque Episcopus, ea *immediate* ab Ecclesia promanat, *mediate* autem a Christo. Necessarium quippe omnino est Episcopatum universum jurisdictionem habere; quod autem iste Episcopus hos, vel alios suae Dioecesis limites habeat, non pertinet ad jus divinum, sed est prorsus de Ecclesiastico jure.

III. Jure igitur divino Episcopus ordinem, et jurisdictionem obtinet, sed quia ad istam exercendam ne-

cessarii omnino sunt subditi, hinc usum jurisdictionis habet ab Ecclesia. Sane vero Apostolus Timotheum creat Episcopum, eique omnem confert jurisdictionem, quae jure divino Episcopatui est adnexa. Sed ubinam gentium Timotheus hanc jurisdictionem exercuisset? Itaque idem Apostolus dat ei usum et exercitium jurisdictionis per subditorum assignationem, eorum scilicet qui in Ephesiorum regione continebantur. Immo modum etiam et ordinem praescribit quomodo ordinem et jurisdictionem debeat exercere. Quid enim magis proprium Episcopatus, quam ordinatio, et in Presbyteros animadversio? Et tamen Paulus ipse bigamos et neophitos prohibet ordinari, et nonnisi *sub duobus aut tribus testibus adversus Presbyterum accusationem* recipere jubet. Nullum igitur Timotheus in ordinatione acceperat jurisdictionis usum, totum ei dederat Paulus, qui pro suo arbitratu legem, modumque constituere poterat.

IV. Quae per Apostolos gesta fuerunt Romani Pontifices, et Concilia tum generalia, tum etiam particularia deinceps effecerunt; et Episcopos ad bonum totius Ecclesiae in iis etiam rebus, quae maxime erant eorum propriae, jurisdictionem exercere vetuerunt. Innocentius I. (*epist. 2. ad Victr. cap. 1.*) vetat Episcopum aliquem ordinibus initiare extra conscientiam Metropolitani, pluresque a sacris ordinibus arceri jubet, quod etiam facit *Epist. 3. ad Episc. in Tolet. Syn. constit. cap. 6.*, ceterisque litteris, quae a Petro Constantio descriptae sunt, et in quibus similiter plures feruntur leges, per quas potestas Episcoporum contrahitur. Multa etiam de his omnibus constituta sunt a canonibus, qui dicuntur, Apostolorum, a Concilio Eliberitano, Nicaeno, Carthaginiensi III., An-

tiocheno, Chalcedonensi, ceterisque Conciliis, quae antiquissimis Ecclesiae temporibus habita sunt.

V. Quod si Episcoporum jurisdictio a Patriarchis, Metropolitis, atque provincialibus etiam Synodis saepe saepius coarctata invenitur, non video, quare idipsum non licebit Summo Pontifici, qui non humano, ut illi, sed divino jure Episcopis praeest. Episcopi, qui in Ægypto erant constituti sine auctoritate Alexandrini Antistitis, cui subdebantur, nihil prorsus agere poterant (*Act.4. Conc. Chalced. apud Labbae tom.4.*). Ejusdem est generis, quod de Africanis Episcopis scriptum est; et hi omnes auctoritati parebant, quae de jure tantum erat Ecclesiastico; Summus vero Pontifex, non ab hominibus, sed a Christo datam habet potestatem tam in omnes Episcopos, quam in illos omnes qui Episcopis subjiciuntur. Stat igitur divinam esse tum Primatus, tum Episcopatus institutionem; illi datum esse a Christo jus proprium et originarium praesidendi toti Ecclesiae cum primatu honoris et jurisdictionis, huic datum esse Ecclesiam regendi cum subjectione eidem Praesidi qui omnium rector, et caput est. Quare cum Summus Pontifex dioecesim assignat, et jurisdictionem diversimode modificat, utitur jure suo originario ac primævo, nec Episcopi conqueri possunt, cum omnis eorum jurisdictio ita eis data est ut Petro, ejusque successoribus subjiciatur.

VI. At in Episcopali potestate ea quae sunt ordinis distingui solent ab iis quae sunt jurisdictionis, de qua hactenus diximus. Potestas ordinis ea complectitur quae characterem Episcopalem desiderat; jurisdictionis potestate ea omnia comprehenduntur quae ordinationem Episcopalem non requirunt, et spectant

ad regimen et populi gubernationem. Potestas ordinis amitti non potest, quia character inamisibilis est, nec potest alteri delegari, et ad ea omnia extenditur quae ad administrationem Sacramentorum pertinent, et ordinis potestatem requirunt. Ex ordine manat Regum, altarium, et Ecclesiarum consecratio, sacrarum Virginum lectio, Abbatum benedictio, ordinum et confirmationis collatio, confectio Chrismatis, et olei catechumenorum, atque infirmorum.

VII. Quamvis autem jurisdictionis varii sint gradus in Episcopatu, quorum, sicut superius diximus, quidam sunt de jure Ecclesiastico, quidam autem divinam agnoscunt institutionem, attamen in iis quae sunt ordinis omnes aequales sunt, cum omnes eamdem Sacerdotii plenitudinem obtineant. Hinc ajebat S. Hieronymus can. Legimus, 29. Distinct. XCIII. *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, ejusdem est meriti, ejusdem est Sacerdotii .... Omnes sunt Apostolorum successores.* Huc etiam referri possunt quae Cyprianus ajebat in libro de unitate Ecclesiae: *Nemo fraternitatem seducat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus in solidum singuli partes tenent.*

VIII. Sed praeter potestatem ordinis et jurisdictionis Canonistae distinguunt legem jurisdictionis, et legem dioecesanam. Ad illam pertinet jus docendi fideles, necnon leges temporaneas in edictis edendi, et in synodis leges perpetuas, cum sanctione poenali in delinquentes. Ad istam vero pertinet jus exigendi synodaticum, cathedraticum, atque universos redditus qui ad Ecclesiam attinent. Sed et jurisdictio Episcopi esse potest voluntaria, et contentiosa; altera exer-

cetur in subditos, etiam extra dioecesim, ubicumque fuerit Episcopus, sicut in beneficiorum collationibus, in absolutione a delictis, et a censuris; altera vero non potest extra proprium territorium exerceri, sicut justitiae administratio, etc. Denique dividitur etiam Episcopi jurisdictio in ordinariam et delegatam; illam proprio jure exercet Episcopus; istam vero, tamquam Sedis Apostolicae Delegatus.

CAPUT VII.

DE EPISCOPALIBUS MUNERIBUS.

I. Tanta potestas fuit Episcopis commissa ut gregem Dei sanctificarent, et ad pascua aeterna perducerent; hinc diversa munia ad Episcopos pertinent, ut eorum vocationi possent plenissime respondere; quinimmo nulla sacri ministerii pars est quam non contineat Episcopatus, cum universas religionis functiones ambitu suo amplectatur. Et primum quidem Episcoporum officium est verbi Dei praedicatio; quomodo enim fideles populi credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? Et revera tam proprium Summis Sacerdotibus reputarunt Apostoli verbi Dei ministerium, ut mensarum servitium in Diaconos rejecerint; *non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis;* act. VI. v. 2. Hinc Sanctorum Patrum Augustini, Basilii, Ambrosii, Chrysostomi homiliae, sermones, tractatus; hinc leges illae synodorum quae numquam desierunt Episcopis praedicationem inculcare, sicut videre est apud Thomas. (*de benef. part. II. libr. 3. cap. 85*). Sed adhuc instantius Triden-

tinum statuit sess. XXIV. de reform. cap. 4. Episcopos, *per se*, ad praedicandum teneri, nisi legitimo impedimento vetentur.

II. Si vero adsit impedimentum aliquod, ex quo Episcopus praedicationi incumbere non possit, debet ex eodem Tridentino in Ecclesia cathedrali, et in aliis etiam Ecclesiis, si parochi impediti sint, praedicatores constituere, impensis tamen eorum, ad quos praedicatio spectat. Illud porro advertendum, ex hoc derogatum non esse illi consuetudini, quae alii quam Episcopo in Ecclesiis non cathedralibus tribuit facultatem praedicatores eligendi, praesertim quando qui nominant, alunt etiam praedicatores. *Fagnanus ad cap. inter cet. ex. de offic. ordin. n. 28.* Ceterum nullus saecularis, sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo praedieare praesumat, ex eodem Tridentino, loco citato.

III. Alterum Episcopale munus est Sacramentorum administratio; non enim sufficit, ut Christiani simus, in Christum credere, sed necessarium omnino est sacramenta ministrare, ut gratia detur, et habita augeatur. Hujusmodi sane munus ipsi Episcopi antiquitus obiverunt. Sed, aucto deinceps Christianorum numero, quae ab Episcopali charactere non pendent, Presbyteris committunt, reservata sibi ordinatione, quae jure divino aliis communicari non potest, et confirmatione, cujus sunt Episcopi ordinarii ministri.

IV. Nec minus ad Episcopum pertinet oratio; predicatio enim ab oratione sejuncta parum valet; hinc debet pro populo sacrificium offerre, publicas preces indicere, publicas formulas concipere, quaeque minus rectae sunt penitus abolere.

V. Quamvis autem totius Dioecesis cura ad Episco-

pum pertineat, debet tamen peculiariter prosequi adolescentes in Seminario degentes, pauperes, viduas, orphanos, hospites, virgines Deo dicatas, et monachos, qui si extra claustra deliquerint, potest etiam debitis poenis coercere.

VI. Nec ultimum sibi vindicat locum controversias de fide et moribus in Dioecesi exortas dirimere, Ecclesiasticam politiam canonibus constituere, legum Ecclesiasticarum veniam indulgere, exceptis summo Pontifice reservatis, de criminibus Ecclesiasticis cognoscere, Ecclesiasticasque poenas infligere, ac denique dissidentes Christianorum animos in concordiam revocare, litesque ex aequo, et bono componere.

VII. Haec omnia Episcoporum munia satis superque demonstrant, ipsos ad residendum teneri. Quamvis autem non sit a Tridentino definitum, tamquam fidei dogma, residendi debitum in sua Ecclesia, attamen idipsum apertissime Patres indicarunt: praecepto enim divino dixerunt Episcopos in pastoralia munera incumbere debere, quod quidem effici non potest nisi gregi suo non assistant, sed vel mercenariorum more deserunt, vel ipsius gregis curam alteri committunt; *qui* enim *per Vicarium inservit*, *per Vicarium remunerabitur*, inquit Bernardus.

VIII. Nil autem vetat quominus Episcopi possint aliquando a sua Dioecesi abesse propter nonnullas causas a Summo Pontifice probandas, quae quidem causae ex Tridentino Sess. XXIII. de Reform. cap. I. enumerantur quatuor: *Christiana charitas*, *urgens necessitas*, *debita obedientia*, *ac evidens Ecclesiae*, *vel Reipublicae utilitas*. 1. Intelligitur, quando Episcopus alibi ire debet ad propagandam, vel confirmandam fidem, vel etiam ad pacem inter Principes Chri-

stianos conciliandam, dummodo res non ita se habeat, ut magis obsit suae Dioecesi, quam alteri prosit. 2. Quando Pastor quaeritur ad necem; tunc valet illud Christi Domini Matth. X. 23. *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*; quod si in gregem sit persecutio, tunc praecipue non potest gregem suum deserere: *bonus* enim *pastor animam suam dat pro ovibus suis*: *mercenarius autem fugit*; intelligitur etiam urgens necessitas, quando Episcopus sanitatis recuperandi causa debet omnino abesse a sua Dioecesi. 3. Quando a superiore legitimo vocatus, debet ad tempus discedere, in quo primum obtinet locum visitatio *ad limina Apostolorum*, ad quam obeundam, juxta Constitutionem Sixti V, triennaliter tenetur quilibet Italianus Episcopus, quod si fuerit transalpinus in omni quatriennio; in quo casu, primus juxta praescriptum Urbani VIII., potest a Dioecesi abesse per quatuor menses, alter autem per septem. 4. Intelligitur, si Episcopus interesse debet OEcumenico vel Provinciali Concilio, vel etiam quando Reipublicae utilitas non potest nisi per Episcopum obtineri.

IX. Sed praeter visitationem ad sacra limina, etiam posita justa et rationabili causa, non potest Episcopus a Dioecesi abesse ultra tres menses; neque tempore Adventus, Nativitatis, Quadragesimae, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi, neque etiam potest ita conjungere tres menses unius anni cum mensibus alterius anni ut efficiant continuationem sex mensium, neque menses plurium annorum simul conjungere; vide Constitutionem Benedicti XIV. *Ad universae*. Si secus Episcopus fecerit, fructus non potest facere suos, sed pro rata temporis debet erogare ad usum

pauperum, vel Ecclesiae, quae poena cum sit latae sententiae, obligat ante judicis sententiam. Quod si in sua contumacia perseveraverit, post trinam monitionem, excommunicationi, suspensioni, et etiam ipsius beneficii privationi subjacebit.

X. Sed residentia Episcopis imposita non debet esse otiosa, atque iners, sed frequenter debent ipsi perlustrare paroecias; nisi enim medici aegrotos conveniant, aptam morbis medicinam non adhibebunt. Debent igitur Episcopi (et sub hoc nomine comprehenduntur etiam ceteri omnes, qui jurisdictione gaudent quasi Episcopali, videlicet Abbates, Priores, Praepositi) per se Ecclesias invisere, nisi ex justa causa impediantur. Trid. sess. XXIV. de reformat. cap. 3. Finis autem visitationis est restitutio sanae doctrinae, morum compositio, et lapsae disciplinae renovatio, unde ajebant Tridentini Patres debere Episcopum in visitatione *sacram doctrinam, pulsis haeresibus inducere, populumque cohortationibus, et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque incendere; caetera prout locus et occasio feret, et visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere.*

XI. Visitatio esse potest personalis, et localis. Subjiciuntur visitationi personali Clerici omnes saeculares, et Regulares si officium Parochi exerceant, necnon Capitula Cathedralia et Collegiata, Monasteria commendata, in quibus non viget Regularis observantia, et Ecclesiae omnes sive regulares fuerint, sive saeculares, etiamsi *nullius* esse dicantur. Id adeo proprium Episcoporum est, ut ipsas Ecclesias exemptas Episcopali visitationi subjecerint Tridentini Patres, in quo tamen tamquam Sedis Apostolicae delegati se gerunt Episcopi. Trident. Sess. VII. de Reform. cap. 7

et 8, et Sess. de Reform. cap. 9: Ad localem autem visitationem quod attinet, Episcopis facta est potestas ex eodem Tridentino visitandi hospitalia, collegia, confraternitates omnes, et pia loca, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat.

XII. Singulis annis debent Episcopi visitationi vacare; ubi tamen hoc vetet Dioecesis amplitudo, quominus unius anni curriculo visitatio absolvi queat, saltem quolibet biennio debet visitatio ab Episcopis institui. Illud porro exploratum, longiores moras, atque perlongam rerum cognitionem, visitationem omnino respuere; ea potius quae notoria sunt, nec longo indigent examine ad Episcopum visitantem spectant, qui procedere debet sine formulis judiciariis, sola summaria cognitione contentus, irrogatque potius correctiones, quam poenas ordinarias; hinc decreta in sancta visitatione facta *effectum* non habent *suspensivum*, sed tantum *devolutivum*. Peracta autem visitatione, debet Episcopus omnia quae in ea gesta sunt Congregationi Concilii subjicere, ut omnia Summo Pontifici aperiantur, et ut vinculum comunionis magis, magisque ostendatur.

XIII. Restat modo ut aliquid de procurationibus dicamus. Sunt *procurationes* alimenta a singulis Ecclesiis ob frugalem victum Episcopis visitantibus debita. *Procurare* enim apud Latinos idem est ac cibaria praebere. Jam enim a priscis temporibus, sicut patet ex canonibus Toletanis, procurationes Episcopis visitantibus dabantur; sed cum mediis saeculis in immensum excreverint procurationes ipsae, huic malo occurrere volentes Tridentini Patres statuerunt (*sess. XXIV. de Reform. cap. 3.*) 1. ne Episcopi aliquid etiam de sponte oblatis in visitatione accipiant, prae-

ter necessaria sibi, suisque, et moderate, pro tempore tantum visitationis, et non ultra; 2. ut relinquatur optioni eorum qui visitantur, pecuniam an victualia visitationis nomine solvere malint; 3. ne a receptis moribus recedant, ubi gratuito Episcopi visitare consueverint; 4. si quid amplius exegerint Episcopi, eorumque familiares, duplum intra mensem restituere teneantur; si vero non restituant, poenis in jure statutis subjaceant.

CAPUT VIII.

DE EPISCOPORUM ELECTIONE, CONFIRMATIONE, ET CONSECRATIONE.

I. Vetus Ecclesiae disciplina praescribebat a Metropolita, Episcopisque Provinciae eligi Antistitem ad orbatam Ecclesiam gubernandam, praeeunte Cleri, populique suffragio, ac testimonio. Concurrebant populus, et Clerus ad designandum Praesulem veluti testes alienae pietatis, atque doctrinae, et tamquam deprecatores apud Metropolitam, et Provinciales Episcopos, ut quem expeterent, seligere vellent. Metropolita vero, et Provinciales, examinata plebis, Clerique designatione, si cuncta rite conveniebant, assentiebantur, existimantes eum idoneum ad Ecclesiam regendam in quem conspirarent illi ipsi, in quos jus dicere, et Pastoris auctoritatem exercere debebat. Quare populi ac Cleri suffragium nominationis, non electionis formam adumbrabat; nec raro eveniebat, ut petitio, stante justa et rationabili causa, rejiceretur. *Populus docendus est, non sequendus*, inquiebat Coelestinus Papa ad Episcopos Apuliae et Calabriae

Epist. 4; *nosque si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat commonere, non his consensum praebere debemus.* Legite Tomasinum de veteri, et nova disciplina libr. 2.

II. In Oriente plebs in dissidia proclivis, atque venalis, omnino remota est ab Episcoporum electionibus, quando Concilii generalis septimi, et octavi decreto cuicumque laico interdictum est in hisce negotiis sese implicare. In Occidente diuturnior fuit antiquus mos, cujus reliquias quisque videre potest in Epistolis 13 et 27 Divi Bernardi, nisi quando primo ad Proceres, et Magnates, postea vero ad Reges fuit electio devoluta.

III. Nullum jus in Episcoporum electionibus a principio reges habuere, et si quandoque Imperatoris vel Regis auctoritas in electionibus exposcebatur, nonnisi ad exortas dissensiones compescendas, eveniebat; ita Theodosius Senior in Nectarium, et Theodosius Junior in Procli electione sese interposuerunt. Paulatim regius adsensus ante consecrationem requiri consuevit, semper tamen adjecta cautione ne eligentium libertas ulla ratione laederetur. Sexto saeculo Gallicani Reges, Hispani, Itali, universum populum repraesentare volentes, sanxerunt ne quis aliquam sedem consequeretur, nisi ex eorum permissu, quin et aliquando ipsos homines designarunt, quos consecrarent Antistites. Octavo, et sequentibus saeculis, invecta formula, ac caeremonia baculi, et annuli Pastoralis, Reges significabant se plene assentiri electioni, electisque concedere, ut in possessionem venirent feudorum ad suam Ecclesiam pertinentium, quae quidem assensio vulgo dicta fuit *investitura.* Nomine igitur investiturae intelligitur *regius assensus electionibus*

adhibitus, *et concessio bonorum Ecclesiasticorum solemni baculi*, *et annuli pastoralium facta traditione*. Undecimo saeculo acriter disputatum, atque bellatum ob regias investituras. Illas quaestuosas ac turpes habuit S. Gregorius VII., easque delere suum officium censuit; idque sedulo atque tenaciter effecit in multis synodis ab ipso habitis. Nec immerito; nam Episcopi, sola Principis auctoritate contenti, nullo Cleri, synodi Provinciae, aut Metropolitarum judicio instituebantur; nec simonia investiturae vacabant, et insignia illa annuli et baculi, veluti sacrae potestatis signa jure meritoque habebantur ab iis, quibus flagitiosum videbatur sacram auctoritatem regendi Ecclesiam a Regibus reposcere. Sub eodem S. Gregorio VII. acerrimo simoniae, ac incontinentiae hoste, sub Victore III. Urbano II. Paschale II. excitatae turbae inter Pontifices et Henricum IV., et V., quae numquam sedari potuerunt, quousque Callixtus II. in Concilio Lateranensi I., anno 1122, Ecclesiasticis personis liberam Episcoporum, atque Abbatum electionem dimiserit, suffecta vice baculi et annuli caeremonia sceptri. Hoc pacto ad Cathedralium Ecclesiarum Capitula delata fuit electio.

IV. Jam vero usque ab aetate Caroli Magni Capitula Cathedralia primum locum tenebant in eligendis Episcopis, eorumque auctoritas tractu temporis stabilius firmata est, ipsismet Romanis Pontificibus assentientibus, ita ut post duodecimum saeculum non solum plebs, sed etiam Episcopi Provinciae ab electione fuerint omnino repulsi, ac inducta lex per quam electio ad Cathedralia Capitula spectaret, ut constat ex titulo de Electione.

V. Hinc Innocentius III. in Concilio Lateranensi

IV, viduatis Ecclesiis prospicere volens, quae ob dilatas electiones plurimum damni patiebantur, statuit *canone 24 in Capitulo quia propter, de Electione*, electionem sive per *scrutinium*, vel per *compromissum*, vel per *quasi inspirationem* peragendam esse. Per scrutinium fit electio cum singulorum vota, ad quos electio spectat, singillatim atque secreto a tribus de gremio viris spectatae fidei exquiruntur, scriptis mandantur, coram Electoribus publicantur, et in quem major pars, collatis et supputatis suffragiis, convenerit, in eum electio cadit. Ad componendas vero eligentium dissentiones possunt Electores, modo omnes assentiantur, spondere uni vel pluribus e Clero, ut quem ipsi selegerint, hujus electionem ratam, ac firmam habituros; et hoc dicitur compromissum. Clericis etiam extra Capitulum compromittere licet, atque conditiones, modo honestae, in compromisso adjungi queunt. Inspiratio demum in eo sita est, ut omnes electores quempiam Antistitem proclament. Si vero eligendus aliquo impedimento in jure. humano irretitus esset, tunc Electores deprecantur illum ad quem pertinet dispensare, vel Romanum Pontificem, ut sua auctoritate impedimentum removeat, et haec petitio vocatur *postulatio*. Eodem prope modo eligi potest Romanus Pontifex; plura tamen adminicula statuta sunt. De ipsis videte Fagnanum commentantem Capitulum. *Quia propter*.

VI. Nec diu stetit penes Capitula Cathedralium Episcoporum electio. Romani siquidem Pontifices, illud jus, quod habent ex primatu, quodque jam a priscis temporibus juxta quasdam extraordinarias rerum, locorum, temporumque causas usi fuerant, sub idem fere tempus ad vitandam simoniae labem, oc-

casionemquae litium, debuerunt Episcoporum electiones sibi vindicare. Hinc capitulorum jus imminutum primo fuit per electionum devolutiones, postea per Constitutiones Clementis IV., Bonifacii VIII., et Clementis V., qui sibi reservarunt electionem Cathedralium Ecclesiarum in Romana Curia vacantium, consequentesque Pontifices ita reservationes dilatarunt, ut prope ad interitum Cathedralium Capitulorum facultas jure meritoque ceciderit.

VII. Hujusmodi reservationes erant pluribus invisae, atque in Concilio Constantiensi, ut auferrentur, complures Antistites enixe conati sunt; sed, cum nihil deliberatum esset, Basileense Concilium, Sess.23, Ecclesias Metropoliticas, Cathedrales, Collegiatas, Monasteria, Dignitates, quae per electionem olim conferri solebant, vetuit reservari a Pontifice, cui permisit reservationes in jure nominatim descriptas, et quae in terris Romanae Sedis, sive directi, sive utilis dominii contingeret. Basileensem sanctionem reprobarunt Pontifices Summi; nec immerito, cum inferior in superiorem nullam habeat auctoritatem; eamdem amplexi sunt Galli, et approbarunt in Bituricensi Conventu, ac sub nomine Pragmaticae Sanctionis anno 1439, cum aliis disciplinae capitibus publicarunt, et firmam, stabilemque Regni legem habendam esse statuerunt. Regnante Carolo VII. Pragmaticae sanctioni obstiterunt Eugenius IV. et Pius II., sed tandem Leoni X. res ex animo processit, qui ad abrogandam Pragmaticam induxit animum Francisci I., et cum eo pepigit Bononiae celeberrima pacta, dicta *Concordata*, et Sessione undecima Concilii quinti Lateranensis publicata, per quae delentur electiones Capitulares Episcoporum, nominatio conceditur Regi, confirmatio Pontifici vindicatur.

VIII. Memorabilia sunt quoque Germanica Concordata, quae cum Nicolao V. Pontifice Fridericus III, et Principes Germaniae ferierunt, ut perspicuum est ex Bulla *ad Sacra*, de quo videte Bartenium. Etiam Hispanis Regibus, aliisque sunt sua concordata, de quibus legite Auctores. Ad nostrates autem quod attinet Pius VII. Ferdinando I., ejusque successoribus concessit in perpetuum indultum nominandi dignos ministros juxta Ecclesiae canones ad universas Ecclesias tum Episcopales, tum Metropoliticas utriusque Siciliae Regni Convent. anni 1818 art. XXVIII. Quod confirmatum postea fuit Litteris Apostolicis ab eodem Pontifice missis Nonis martii ejusdem anni. Igitur, ut paucis rem omnem historice complectar, quatuor periodis Episcoporum electio continetur.

1. Principio enim populus, clerusque eligebat, ille proponendo, petendo, testando; iste vota, petitiones, testimonia plebis expendendo, illiusque voluntati sive accedendo, sive refragando.

2. Potestatem electionum, exclusa plebe ac Clero, Proceres, et Magnates, deinde Reges habuere. Nec longa fuit illorum designatio; in eorum quippe locum advocata fuerunt.

3. Cathedralium Ecclesiarum Capitula.

4. Tandem, jure Concordatorum electiones denuo ad Reges cessere, semper facta Pontifici Summo potestate necessarios facere processus in nominatos, et si idonei reperti fuerint, canonicam institutionem modis, consuetisque formis concedendi. Hactenus de electione.

IX. Constans in Ecclesiis mos fuit quicumque ad Episcopi dignitatem eligeretur, hujus electionem a Metropolita cum Episcopis provincialibus, vel ab Episco-

po Romano confirmari. Ad Metropolitam et Provinciales Praesules simul per plura saecula pertinuit Confirmatio, et in horum ac Metropolitae approbatione tota Populi, ac Cleri electionis vis posita erat, ita ut si delectum a populo et Clero vitiosum judicassent, prorsus rescindebant electionem; nec dubium quin Metropolitae judicium praeponderaret. Verum cum non semper in unum locum convenire potuerint Antistites, temporum calamitatibus impedientibus, ad solos Metropolitas potestas confirmandi delapsa est, eaque potiti sunt usque ad totum decimumtertium saeculum. Verum jam ab undecimo saeculo ob simoniam et incontinentiam, quibus erant interdum plerique Metropolitae contaminati, tum ob dissensiones inter Sacerdotium et imperium, saepe confirmatio petita est a Pontificibus. Inductis postea reservationibus, quam maxime consentaneum visum est, cum qui Episcopi dignitatem conferret, etiam confirmaret, istoque pacto confirmandi potestas peculiaris evasit Romani Pontificis. Et permansit etiam post Concordata cum Regibus inita.

X. In Confirmatione Episcoporum illud semper cordi fuit Sanctorum Patrum, et Pontificum, ne electio vitiosa foret, vel quidpiam per vim aut per munera contra Canones actum esset, sed delectus in Episcopum doctrina et moribus commendabilis esset. Hoc inter alia Concilia imperarunt Lateranense IV., et Tridentinum, tam Sess. 22 Cap. 2, quam Sess. 24 Cap. 1 de Reformat., praescribendo diligentissime inquirendum, adhibendosque probos testes, ut cognoscatur, num, ad tantum officium obeundum idoneus sit qui ad regendum populum destinatus est.

XI. Plures extant Decretalium textus, quibus prohibetur electis nondum confirmatis exercere in Eccle-

sia ullam Jurisdictionem. Quare conceditur electis spatium unius mensis ad deliberandum an assentire velint electioni, cui postquam consensionem adhibuerint, intra tres menses oportet Electus confirmationem petere nisi loci distantia eum excuset; cujus causa permittunt decretales electis extra Italiam, modo omnes Electores in eorum Electione convenerint, uti jurisdictione, antequam fuerint confirmati a Romano Pontifice. Si confirmatio ab eo expectanda sit, Episcopus confirmatus a Pontifice poterat continuo explicare jurisdictionem ex decretalibus; sed postea decrevit Bonifacius VIII. ut ab ea exercenda abstineat, quousque litteras Pontificias testificantes de precepta confirmatione, et de jurata fide reciperet. Restat, ut de consecratione dicamus.

XII. Ad implendas omnes partes Pastoris necessaria est Consecratio hominis electi, et Confirmati. Duodecim primis saeculis Metropolita cum Provincialibus sacrabant Episcopum, et quando convocari non poterant, litteris assentiebantur consecrationi, ut Nicaenus Canon primus imperaverat; necessitate tamen cogente a duobus vel tribus Episcopis sinebant Canones quempiam sacro Episcopatus ordini initiari. Disjuncta confirmatione a Consecratione, et reservationibus praevalentibus, concurrentibus iisdem causis quae confirmationem attulerunt ad Pontificem, etiam consecratio Episcoporum ad eundem defluxit: ejusque ritus ac coeremonias describit Pontificale Romanum. Tridentini Patres prementes vestigia Chalcedonensium Patrum, sanciunt, intra tres menses post confirmationem supputandos, consecrationem Episcopi agendam, statuta poena restituendi perceptos fructus, si distulerit ultra tres menses; et si tantumdem etiam produxerit, omni jure

in Episcopatus dignitatem expoliandum esse, Sess. 23 de Refor. cap. 2.

XIII. Cum a Metropolitis sacrabantur Antistites, priusquam Metropolita eis manus imponeret, ad normam Canonum sese obedientes futuros Metropolitae pollicebantur, idque aliquando jurejurando affirmabant: hanc obedientiam firmatam jurejurando, frequenter saeculo undecimo profitebantur Episcopi: novam jurandi formulam praescripsit S. Gregorius VII. his conceptis verbis: « Ego N. Episcopus, ab hac hora in antea, » fidelis ero S. Petro, Sanctaeque Romanae Ecclesiae, » Dominoque meo Papae N., ejusque successoribus » canonice intrantibus. II. Non ero neque in consiliis, » neque in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel » capiatur mala captione. III. Consilium, quod mihi, » aut per se, aut per litteras, aut per Nuncium manifestabit, ad ejus damnum nemini pandam. IV. Papatum S. Romanae Ecclesiae, et regulas Sanctorum » Patrum adjutor ero ad defendendum, et retinendum (salvo ordine meo) contra omnes homines. V. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. VI. Legatum Apostolicae Sedis, quem certum esse cognovero, in eundo, et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus » adjuvabo. VII. Limina Apostolorum singulis annis » (nunc trienniis) aut per me, aut per certum nuncium visitabo, nisi eorum absolvat licentia. Sic me » Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelica. Sed » praeter haec septem juramenti capita, hodie Episcopi, juxta praescriptum Clementis VIII., alios duos » articulos adjungunt, videlicet. VIII. De observandis » decretis, reservationibus, et mandatis Sedis Apostolicae. IX. De bonis suae Episcopalis Mensae non alienandis ».

CAPUT IX.

DE EPISCOPORUM TRANSLATIONE, RENUNCIATIONE, ET DEPOSITIONE.

I. Episcopus, Ecclesiae cui praeficitur, veluti nubet; docentque juris interpretes Sacrum Conjugium inchoari electione, firmari confirmatione, atque consecratione absolvi. Exponenda nunc ratio, qua arctissimum hoc vinculum dissolvitur. Dissociatur vinculum quo Episcopus innectitur Ecclesiae, si ex una sede ad aliam regendam transferatur. Canon 15. Nicaenus vehementer reprehendit Episcoporum migrationes, tum quia istarum causa ingentes turbae, ac tumultus populi excitabantur, tum quia avaritia et dominandi cupiditate plerique Episcopi ad novas Ecclesias transferebantur.

II. In hoc maxime peccabat Ariana factio, cujus conatus ut frangerent Sardicenses, primo ac secundo canone, translationes omnino vetuerunt. Omnes istae graves, severaeque leges, ac statutae poenae spectant avaros, superbos, et factiosos Antistites; nunquam autem Ecclesia, si comunis utilitas, vel urgens necessitas posceret, prohibuit, ut quis publica auctoritate fretus sedem quam tenebat desereret, atque ad alterius administrationem comearet. Dum autem interdum permissas translationes legimus, eo in sensu semper accipiendae sunt, ut intersit publica auctoritas quæ eas perpendat ac probet. Decem primis saeculis hoc judicium generatim tulerunt in maxima urgenti necessitate, vel perspicua utilitate Metropolita et Provinciales Episcopi, praeeunte petitione ac testimonio cleri et populi, qui ad viduam Ecclesiam transferri Antistitem enixe

deprecabantur. Ad Romanam Sedem ex Oriente et Occidente praesertim tunc perfugiebant, si Episcoporum animi in deliberando distrahebantur, vel sacri Canones, propter adjuncta laxandi erant, aut de eximiis ageretur Sedibus. Verum decimo saeculo excurso frequenter Antistites translationum judicium Romano Pontifici detulerunt. Cum autem intermitti provincialia Concilia coeperunt, et Metropolitanorum, qui in suspicionem veniebant, imminuta fuerit auctoritas, sensim consuetudo praevaluit, indeque plenum jus Romano Pontifici accersitum, et inter majores Causas reservatas Pontifici, enumeratae translationes, ut legenti titulum de translatione apparet. Hactenus de Episcoporum translatione; videamus modo de renunciatione.

III. Non licet ob peculiarem suam comoditatem abdicare Episcopi munus, sed graves causae concurrant oportet. De illarum gravitate judicabant olim Provincialia Concilia cum suo Metropolita ; ad Romanum Pontificem nunc spectat, ad quem hoc jus defluxit eodem modo, quo translationes ei sunt tributae; et quidem Innocentius III, cap. 10 de renunciatione, recenset causas, ob quas fas est cedere Episcopi dignitati. Infirma valetudo, provecta aetas, quae officium Episcopi implere impediat, ignorantia necessariae scientiae, seditio populi in Episcopum, pertinacia plebis, grave scelus Episcopi cum irregularitate, et irregularitas bigamiae, sinunt Pastores sese exuere omni honore, et munere Episcopi. Veteres permittebant etiam ad haeresim vel dissensionem extinguendam renunciare, uti Africani Patres. Restat ut de depositione dicamus.

IV. Ad continendos in officio Pastores, avertendamque a populo perniciem æternæ salutis necesse erat, ut si in munere obeundo graviter delinquerent praesules,

dignis plecterentur poenis. Hinc in Episcopos grandis sceleris reos, sancita est amotio ab honore et officio, quae nominatur *depositio* ab interpretibus juris. Agitabantur hae criminales causae in synodis Provinciae, et definiebantur. Adhibebant autem Antistites multiplicem cautionem in judicando; nam si crimen, de quo Praesul expostulabatur, erat implicitum cum aliquo fidei capite, de quo nec a generali Concilio, nec a Romano Pontifice quidpiam definitum erat, solebant ad Pontificem ante vel post Synodi sententiam referre. Eadem utebantur regula si damnandus fuisset Antistes magnae Sedis, aut in dicenda sententia judices inter se dissiderent, vel graves turbas pertimescerent. Hoc ipsum eveniebat si post dictam sententiam Episcopus perfugere vellet ad Romanum Tribunal, vel ad Pontificem provocasset. Permiserant enim Nicaeni Patres, uti gravissime scribit ad Antiochenos Episcopos Julius Pontifex, examinari judicium provincialis Concilii in alio copiosiori Conventu, eademque de causa triplicem in hac re Canonem ediderant Antiocheni Patres, ne Episcopus aliusque Sacer Minister, qui doleat de Concilii deliberatione, confugiat ad Imperatorem, sed ad majus Concilium referat suam causam; imperant quoque Can. 14, ut si, in judicando accusatum Episcopum Provinciales discordarent, Metropolita vocet finitimae Provinciae Episcopos, ut simul finem imponant negotio. Nolunt vero, Can. 15, appellari ad judicium conterminos Praesules, si Provinciales in damnando Episcopum concordes fuissent. Imperatorum auctoritate abutentibus Arianis, Sardicenses Patres, Can. 13, edicunt, ut si Episcopus queratur, se contumeliam in Provinciae conventu percepisse; et injuria condemnatus exoptet renovare judicium Provinciale, Judices con-

sulant Pontificem, ejusque sententiam sequantur. Verum si a Concilio Provinciali Antistites provocaverint, potest Pontifex per Can. 7. iterare judicium, et praescribere Episcopis propinquae Provinciae ut judicent per se, vel una cum suis Legatis. Volunt tandem hanc secundam sententiam haerere ancipitem, si Episcopus ab illa appellaverit, et litigium a Pontifice definiri petierit. Diu stetit haec disciplina, de qua saeculo nono altercatus est Hincmarus Remensis cum Nicolao I., a quo decretum fuit prius consulendum Pontificem, quam ulla sententia in Concilio Provinciali proferatur. Hincmarus Gallique, obstitere Nicolao, cui cessere in Concilio Tricassino anni 868, ac obediere.

V. Denique lex lata fuit a Tridentinis Patribus, Sess. 24 Cap. 5., causas criminales et graviores Episcoporum, quae depositione, aut privatione dignae sunt, ab ipso tantum Romano Pontifice esse cognoscendas, et terminandas.

CAPUT X.

DE COADJUTORIBUS, ET CHOREPISCOPIS.

I. Nicaena Synodus, Canone 8., constituit unum, non plures in eadem urbe collocandos Episcopos; istoque decreto sublati videntur adjutores, Episcopali dignitate ornati: verumtamen hoc dumtaxat prohibuerunt Canones, ut haereditatum more non essent perpetuae in familiis, neque de illis tamquam de terrenis bonis Antistites deliberarent, ut potissimum est ex Tridentino Sess. 21 de Reform. Cap. 7, quare infirmo Praesuli, vel senio confecto opem ferre, eique destinare auxiliatorem, qui cum, levet in suo officio implen-

do, laudabile saue est. Ex veteri disciplina auctoritas decernendi de auxiliatore ad Provinciae Concilium pertinebat; datur autem auxiliator ad tempus, vel ad infirmi Episcopi vitam, sine spe successionis in Episcopatu. Bonifacius octavus, in Cap. *Pastoralis*, præcepit esse solius Pontificis permittere adjutores, et sinit Episcopis in disjunctissimis a Romana regionibus, sedem tenentibus, ex delegata Pontificis auctoritate, sibi eligere adjutorem. Quin si hoc negligant, Capitulum seligere debet, vel a Pontifice postulare. Parochis imperitis tribuitur ab Episcopo adjutor. Denique Tridentinum sess. 25 de Reform. Cap. 3., jubet, ut ex gravissima tantum causa Romanus Pontifex concedat auxiliatores cum successione ad dignitatem Episcopi.

II. Chorepiscoporum meminerunt Ancyranum et Neocaesareense Concilium quarto Ecclesiae saeculo. Eos sero habuit Latina Ecclesia, et primo in Regensi Concilio, anno 439 memorantur. In oppidis et ruribus solebant veluti Episcoporum Vicarii sedere, praeerant rusticanis Presbyteris, quorum Ecclesias invisebant, pauperum curam gerebant, et in Ecclesiis suae ditioni subjectis minores ordines distribuebant. Verosimilius est, Chorepiscopos solo Sacerdotii ordine fuisse praeditos, quamvis nonnulli etiam Episcopatus honore ac potestate ornati essent. Cum autem nimium intumuissent Chorepiscopi, et adversus Episcopos ipsos attentassent, illos e medio tollere e Re Ecclesiastica censuerunt Pontifices. Quapropter post decimum saeculum omnino exoleverunt, eorumque munus archidiaconis, et archipresbyteris fuit commissum. De Chorepiscopis vide Petrum de Marca in Concord. Sacerd. et Imper., *Lib. II. cap. 10.*

CAPUT XI.

DE PRESBYTERIS, ARCHIPRESBYTERIS, PAROCHIS, ET VICARIIS.

I. Primum post Episcopos locum tenent Praesbyteri, a Christo instituti, ut opem praebeant Episcopis in populi gubernatione. Officium Presbyteri est novae legis sacrificium Deo exhibere, conferre baptisma, remittere peccata, verbum Dei enunciare, praesidere, et benedicere, quae omnia exercere debet ex nutu et permissione Episcopi, qui divino ex præscripto, tum honore, cum jurisdictione hac potestate Presbyteris excellit, atque praeest. Cum concilio Sacerdotum olim Praesules regebant commissum sibi populum, hujusque instituti testis est antiquitas, et speciatim S. Ignatius Martyr in Epistola ad Magnesios, ac S. Cyprianus multis in locis.

II. Antequam Constantinus potiretur imperio, tribus primis saeculis, singulis in urbibus multiplex non erat sacra domus, in quam cives Christi cultores conveniebant, rem sacram facientibus Antistitibus. Praeerant autem in pagis, et oppidis Presbyteri, ut prospicerent Christi gregi, et se in urbem saepe recipiebant ad diem Dominicum celebrandum; multiplicato, deinde fideli populo, plures Ecclesias in urbe, externisque locis extruere oportuit, earumque cura data Presbyteris. Dicebantur Paroeciae minores hujusmodi Ecclesiae quasi essent veluti divisæ administrationes, illorumque curatores Parochi sunt nuncupati, qui destinatis illis Ecclesiis perpetuo haerebant, et veluti Pastores illas regebant. Ex hoc fonte fluunt Parochi nostrae aetatis.

III. Animarum cura concredita Parochis in hoc praecipue sita est, ut sacrum Baptisma, et Eucharistiam Paschali tempore, atque infirmis administrent, extremae unctionis, et matrimonii Sacramenta tribuant, atque poenitentiae, Deo sacrificent pro populo, et hunc in fide et moribus instituant. Etiam quaedam precationes, seu benedictiones uti cinerum, palmarum, seminum, ac frugum sunt propriae Parochi, quamvis modo ex privilegio sint aliis comunes. Desunt Parochi suo muneri si sine justa causa, ab Episcopo cognita, et probata diuturniori temporis spatio ultra duos menses, quos permittit Tridentinum, sess. 23 cap. 1., absint a suis Ecclesiis; et populus obsistit divino praecepto quoties suo Pastori non obtemperat in negotiis fidei, divinique cultus, Sacramentorum, vel disciplinae.

IV. Gravibus negotiis implicati quarto Ecclesiae saeculo Antistites, cunctis Presbyteris unum praetulerunt, et Archipresbyterum vocarunt. Hic in Cathedrali Ecclesia residebat. Episcoporum dioecesibus partitis in decanias, vel Plebes, etiam in ruribus collocati sunt Archipresbyteri, atque nominati Decani, Plebani, Archipresbyteri rurales. Isti cum praeessent ceteris Parochis, ab ipsismet Parochis eligebantur, atque confirmabantur ab Episcopo, a quo solo nunc ex decretalium jure institui possunt. Urbanus Archipresbyter debet providere ut in Ecclesia Cathedrali divina officia summa cum diligentia exerceantur, et ministrentur. Rurales vero ut unusquisque Parochus suas partes expleat. Decimo, et undecimo saeculo externam in suis decaniis jurisdictionem sibi paraverant Archipresbyteri, eamque interdicendo, suspendendo, excomunicando, judicando de causis matrimonii, de crimine simoniae, ac adulterii, aliisque depositione plectendis explica-

bant. Hanc eis adempserunt Episcopi saeculo decimotertio, eamque tradiderunt Vicariis, quos ipsi cligunt, et quorum potestas magis minusve patet, habita ratione mandati, quod ab Episcopis recipiunt.

V. Differebat olim Vicarius ab officiali; ille jurisdictionem Episcopi spiritualem exercebat, iste vero juri dicundo praeerat, et ab ejus sententia non ad Episcopum, sed ad Metropolitanum provocabatur. At in Italia Vicarius utramque jurisdictionem exercet, spiritualem et temporalem, voluntariam et contentiosam; et quamvis, apud Gallos praesertim, plures sint in aliqua Dioecesi Vicarii Generales, apud nostrates tamen unus plerumque est, qui universam regit Dioecesim, et a Vicariis foraneis distinguitur. Sunt enim Vicarii *foranei*, qui foris, idest extra civitatem sunt constituti, et delegatam tantummodo habent ab Episcopo jurisditionem, ab ejus nutu et mandato pendentem.

VI. Unusquisque vel saecularis sit, vel regularis potest esse generalis Vicarius, dummodò sit clericus, et universa, quae sunt jurisdictionis, potest expedire; hinc electiones ad beneficia confirmat, praesentatos instituit, de ipsis beneficiis sententiam dicit, et ab ipso ad Metropolitanum appellatur, minime vero ad Episcopum, cum unum tribunal constituant. Prohibetur autem Vicarius visitare Dioecesim, cogere Synodum, Canonicorum Capitulum indicere, eique interesse, praesidere, suffragium ferre; nec minus Canonicos in choro, et Capitulo praecedit, sed in actibus dumtaxat, qui ad ejus officium pertinent. Mortuo, vel amoto Episcopo, vel revocato mandato, cessat Vicarii officium.

CAPUT XII.

DE DIACONIS, ARCHIDIACONIS, CETERISQUE SACRIS MINISTRIS.

I. Diaconos mensis praefecerunt Apostoli, eosdemque ad sacra munia obeunda adhibuerunt. Excipiebant autem fidelium oblationes, quas tradebant Sacerdoti, et offerentium nomina palam nuntiabant, Catechumenos et poenitentes ad orandum, genuflectendum, et audiendum divinum verbum, necnon ut exirent e templo, quando opus erat, monebant; legebant Evangelium, conferebant baptisma ex imperio Episcopi, ad populum habebant concionem, Episcopo et Sacerdoti sacrificium agenti inserviebant, Christi Sanguinem distribuebant fidelibus, ipsum quoque Corpus ex necessitate, vel Episcopi permissu dispensabant; semper tamen consecrandi Eucharistiam potestate caruerunt. Denique ex bonis Ecclesiae providebant egenis.

II. Episcopi ex Diaconis aliquem aliis praetulerunt, eumque appellarunt Archidiaconum, qui Diaconorum curam gereret. Archidiaconi auctoritas per omnia Diaconorum officia fundebatur, et cum Episcopi Diaconorum opera omnia Ecclesiae negotia agerent, erat amplissima Archidiaconorum jurisdictio, quae primo erat Episcoporum nutui delegata; postea ordinaria, et propria dignitatis Archidiaconi evasit decimosecundo saeculo, et comprehendebat totam jurisdictionem tam voluntariam, quam contentiosam. Verum Antistites, et Tridentini Patres, Sess. 24 de Refor., Cap. 20, eam inter arctos terminos concluserunt, ut fere nudum, et inane dignitatis nomen evaserit: voluerunt tamen, ut nemo Archidiaconus eligeretur, nisi foret

diaconus, et Magister in Theologia, aut doctor, vel licentiatus in jure Canonico.

III. Ecclesiarum servitio, manibus ab Episcopo impositis, alligabantur olim quaedam lectissimae Viduae, quas Diaconissas dixere veteres; illarum principale munus erat adjuvare Antistitem conferentem baptismum faeminis, cum per trinam immersionem initiarentur. Curabant pauperes, inclusos in vinculis ob Christi fidem aegrotantes sublevabant, atque providebant ut mulieres in Ecclesia suam stationem tenerent. Diaconissarum usus jamdiu desiit.

IV. Subdiaconi sunt diaconorum auxiliatores, eisque opem ferunt dum altari deserviunt. Vasa sacra et materiam sacrificii parant, et legunt Epistolam quando solemniter sacrificatur; fidelium oblationes olim Diaconis deferebant. Antiquum est subdiaconorum genus, et post saeculum decimumsecundum inter majores Ministros enumerati sunt ab Innocentio III, et coelibem vitam ducant oportet. Sequuntur Acolythi ad lumina et vinum pro Sacrificio parandum instituti; sectabantur Episcopos, quemcumque in locum contenderent, quorum Epistolas ferebant ad alios Antistites. Exorcistae precibus et adjurationibus ad daemones expellendos ab hominum corpore creati sunt. Denique Lectores et Ostiarii: primi electi ad legendum divinos libros ex veteri novoque foedere, ac Patrum scripta, Martyrumque acta in templo servare. Ostiarii januas Ecclesiae custodiebant, aperiebant, claudebant, indicebant fidelium conciones, ac precationes, arcebant denique ab introeundo templum quibus erat interdictum.

V. Isti sunt principales inferioris ordinis ministri, quos usque a saeculo secundo habet Latina Ecclesia, in quo differt a Graeca, quae in iis sacris officiis distri-

buendis varia fuit; et a multis saeculis solis Ipodiaconis, et lectoribus contenta est. De aliis sacris administratoribus legendus Tomasinus. In hoc tamen utraque Ecclesia diu concors fuit, quod non solum singillatim et distinctis temporibus etiam minores ordines conferrentur, verum etiam si quis in eorum aliquo initiatus esset, in eo exercendo totam vitam transigeret, nec ad majores ordines evocaretur, nisi gravis causa expostularet.

VI. De Clericorum vestibus et tonsura paucis agendum. Per quinque priora saecula Clerici vulgaribus usi sunt vestibus, ut demonstrat Tomasinus, parte 1. lib. 2. Saeculo sexto, exundantibus Barbaris, qui a prolixa veste abhorrebant, antiquum morem retinuerunt Clerici, et oblongas, quas antea vestiebant, adhibuere vestes. Niger vestium color a Monachis, qui eo delectabantur, et quorum plures post sextum saeculum ad regendas Ecclesias selecti sunt, profectus videtur, et frequenter usurpatus post Tridentinum, ac demum lege Conciliorum Provincialium nonnullis in locis praescriptus. Consuetudo tondendi capillos et radendi partem capitis ad exprimendam coronam ignorarunt veteres, qui ut in vestibus nimiam elegantiam, et fastum fugiebant, sic abjectis calamistris decenti coma utebantur. A Monachis ortum ducit usus tondendi capillos, et abradendi, nec saeculo sexto antiquior habendus; multis postea decretis stabilitus.

VII. Nunc de Tonsura, cum sit primordium, ac preparatio ad sacros ordines suscipiendos. Octo primis saeculis nullus extitit e clero, qui sola tonsura ornatus esset, nec aliquo ordine insignitus. Semel ac aliquis in sacrorum ministrorum numero referebatur, illico ex minoribus ordinibus aliquem suscipiebat, sicut putat

Morinus p. 3 de sacris ordinibus exercitatione 13 cap. 3. Initia hujus disciplinae petenda esse, ait nuper laudatus Auctor, ex more offerendi a parentibus impuberes filios Ecclesiis, qui ob aetatem non idonei ad sacra officia implenda, tondebantur, et cleri habitu induebantur; aucta aetate in proposito manentes, tonsuram, tamquam Ordinem distinctum accipiebant, eoque initiabantur, cujus generis clericos, VIII. Synodus OEcumenica commemorat; quae quidem disciplina usu firmata est. Inducta hac institutione constitutum est, ut precibus adhibitis tribueretur ab Episcopo clericorum vestis et habitus; atque istis clericis impartita sunt privilegia fori et canonis, idoneique aestimati ad beneficia capessenda. Tridentini Patres sess. 23 de Reform. Cap. 4, secuti majorum sanctiones, praeceperunt Episcopis, ne cuipiam clargirentur tonsuram, nisi prudenter perspicerent, eum, qui sacrum habitum susciperet, nulla prava affectione, sed pietate ac sanctitate duci ad hoc vitae genus amplectendum.

CAPUT XIII.

DE SACRIS ORDINATIONIBUS.

I. Sacramentum ordinis solus distribuit Episcopus. Septem enumerantur ordines, quorum sex sunt veluti integrantes partes ac gradus, qui referuntur ad Sacerdotium, in quo praecipue sita est natura Ordinis, qui ab Episcopo confertur imponendo manus, aliisque ritibus, quibus gratia, potestas, et character exercendi spirituales functiones impartitur, imprimitur, declaratur. A quocumque Antistite ordines accipiantur, habendi sunt rati ac firmi. Vetus tamen praeceptio

est ut ab illo ordines percipiantur, cujus potestati, ac jurisdictioni subjacet initiandus, et a canonum interpretibus dicitur Episcopus proprius Dioecesanus.

II. Quadruplici ex capite evenit ut Episcopo subsit ordinandus, scilicet originis causa, beneficii, domicilii, ac postremo familiaritatis. Origo aestimabatur quondam ex loco baptismatis, cujus nexus non erat ita arctus, ut etiam ab alio Praesule in clerum enumerari non posset, si mores, ac vitae probitas Ordinandi exploratae forent. A Bonifacio VIII sancitum postea est *in Capitulo 13 de tempore Ordinationum in sexto*, originem repetendam esse ex loco nativitatis. Causa beneficii habetur proprius Episcopus ille in cujus Dioecesi beneficium situm est; videndum hac in re, ne malo animo ac dolo in aliena Ecclesia impetratum fuerit beneficium, ut clericus proprio Episcopo se subduceret; tunc iste impediretur ab exercitatione suscepti ordinis, de quo legenda Innocenti XII. Constitutio, *Speculatores.* Ex domicilio quoque assignatur Episcopus; qua enim in regione, quis domicilium constituit, fit obnoxius Episcopo ejus loci. Quodnam sit stabile domicilium ex civili jure dijudicandum, nisi a synodis declaratum fuerit, uti a IV Mediolanensi, et ab Innocentio XII. in citata decretali, a quibus edictum fuit, per decennium acquiri domicilium, et triennio comparari domicilium familiaritatis ex Tridentino Sess. 23 cap. 1 de Reform.

III. Ob familiaritatem Episcopus Dioecesanus reputatur ille, qui inter suos domesticos, ac servitio alligatos retulit Ordinandum. Regulares percipiant ordines oportet ab Episcopo in cujus Dioecesi collocatum est monasterium. Sed de his videte Berardi.

IV. Patres Sardicenses stabiliunt Canone 10, in

singulis ordinibus exercendis non breve spatium temporis insumendum esse, antequam alius Ordo suscipiatur. In decurrendo hoc temporis intervallo, quod *Interstitium* vocatur, varia fuit disciplina; quarto saeculo jam provecto, post diuturnam exercitationem in minoribus ordinibus quadriennium, vel quinquennium in Subdiaconi, quadriennium in Diaconi ordine insumebatur, et quinquennium Sacerdotibus erat praefinitum in Occidente; in Oriente autem, tempore Synodi octavae, generalis anno in lectoris, duo in Subdiaconi, tres in Diaconi, quatuor in Sacerdotii ordinibus erant explendi; dein Episcopus fieri poterat.

V. Ab ista disciplina deflexit consequens aetas; et Latini duodecimo saeculo omnes simul minores ordines largiebantur, et annua ministratio Subdiaconis, ac Diaconis satis erat. In Oriente intercapedo unius haebdomadae statuta erat inter Subdiaconi, et Diaconi ordinem; immo antiquis minime necessarium videbatur percurrere omnes minores Ordines. An majores praetermittere liceret, negant Hallerius, et Tomasinus. Morinus vero Presbyteratum nunquam omissum, sed Diaconatum concedit; Mabillonius, et Pagius etiam Presbyteri ordinem, cum quis sacrabatur Episcopus, interdum omissum arbitrantur. Sed immerito; nam Episcopatus est extensio, complementum, et perfectio Presbyteratus, quo non recepto, nec valida erit Episcopi consecratio; secus enim in aliis ordinibus, qui omnes in Sacerdotio continentur, ita ut si per saltum fiat ordinatio, valida erit, quamvis illicita.

VI. Possunt etiam Episcopi justa ex causa in angustum tempus adducere ordinum intervalla, ita tamen ut in eadem die duos ordines majores cuipiam impertire nefas sit, secus autem in minoribus, quamvis

etiam quoad istos separatim tradendos monet Tridentinum, Sess. XXIII. de Reform. Cap. 14.

VII. Distribuendis ordinibus nulla erat certa dies ante quartum saeculum. Praescripsit Gelasius Diaconorum et Sacerdotum sacras ordinationes quatuor anni temporibus, et in dimidio quadragesimae, quam diem mutavit Alexander III. in Sabbato ante Dominicam passionis, celebrandas esse. Adjunxit Alexander III. Sabbatum Sanctum. Nunc idem tempus restitutum est Subdiaconis. De minoribus conferendis festus dies est constitutus ab eodem Alexandro III. Quicumque in majoribus dispensandis, stabilitum tempus constitutum non custodierit, prohibetur Episcopus a conferendis Ordinibus, recipiens vero a percepto officio obeundo. Ceterum Romanus Pontifex dat facultatem initiandi extra tempus.

VIII. Quicumque in clero enumerabatur, toto vitae suae curriculo servire debebat Ecclesiae certae et determinatae, nec discedere poterat sine permissu Episcopi, qui si Clericum abire sineret, hanc veniam se illi partitum litteris testabatur, quas *formatas* vocabant. Ex Ecclesiae redditibus suppetebatur victus cuicumque clerico. Inductis vero beneficiis, omnes Ecclesiastici redditus sunt alligati beneficiis, et qui beneficio careret, solum ordinem in sacra ordinatione reciperet. Et hoc praesertim accidit, postquam cœptum est separatim ab ordinibus tribui Ecclesiastica beneficia, quod evenit undecimo currente saeculo, ex quo prodiere Ecclesiastici viri nulli ratae Ecclesiae destinati, et innexi.

IX. Multum damni attulit disciplinae, necnon dignitati sacri instituti haec corruptela, cui ut aliquam medelam praeberet Alexander III., compellit Epi-

scopos, qui Diaconos et Presbyteros sine titulo initiati fuissent suis sumptibus alere, addita hac cautione, nisi talis Ordinatus de sua, vel paterna haereditate subsidium vitae possit habere. Alexandri constitutionem in Concilio tertio Lateranensi latam, sic interpretati sunt Jurisprudentes, quasi permisisset Episcopis ad majores Ordines evehere, quos beneficium non habentes suis bonis alerentur. Ex non recte intellecto Alexandri textu exortus est alter titulus Ordinationis, Patrimonii scilicet, et in ejus loco etiam pensionis. Tridentinum Sess. 21 de Reform. Cap. 2, probavit titulum de Beneficio, et Patrimonio, atque sancivit neminem in clericorum numero recensendum nisi certae Ecclesiae adscribatur, et patrimonii titulum approbandum ob utilitatem, vel necessitatem Ecclesiae. Clerici sine titulo consecrati explere nequeunt Ordinis officium, si fraude circumvenerint Antistitem, et Praesul per triennium a conferendis Ordinibus prohibetur a Gregorio IX., si pepigerit cum clerico de titulo non exigendo. Regulares ad percipiendos ordines admittuntur titulo paupertatis ex Conciliis, et Pontificibus, de quo legite Thomassinum.

CAPUT XIV.

DE IRREGULARITATE.

I. Dignitas ac excellentia officiorum quibus funguntur sacri ministri exposcit, ut non solum idonei, verum etiam probi sint, et habeantur. Multas cautiones propterea adhibuerunt Patres in iis deligendis; et a sacra administratione repulsi sunt omnes qui necessariis carebant qualitatibus. Quare si quis aliquo

ex rescriptis adjuncto sit expers, ille est implicatus impedimento excipiendi ordines, et hujusmodi obices vocantur irregularitas, quia illi qui hoc obice tenentur, ex sacris regulis removentur ab divinis officiis. In horum numero collocabantur criminosi, eorumque scelerum conscii, quorum causa palam poenitere oportebat, cui bene etiam reus occulti gravis criminis erat subjectus, proindeque repellebantur a sacris functionibus. Saeculi undecimi Scriptores falsis Isidori decretalibus decepti, et ob grandem numerum, qui simoniae et incontinentiae vitio erant turpati, de publicis flagitiis explicuerunt priscas sanctiones, et occultos reos clam poenitentes sacris ordinibus consecrari tollerabant. Recepta est interpretatio, et solum excepti haeretici, simoniaci, iterantes baptisma, et quidem conferentes vel suscipientes illicite sacros ordines, et homicidae; omnes isti, quamvis occulte delinquerint, subjacent irregularitati. De homicidiis advertite, quod si alteri mors illata fuerit ob necessariam defensionem, venia conceditur a Clemente V. in Clementina, de Homicidiis.

II. Praeterea mansuetudo a Christo praecepta effecit ut semper a sanguine humano effundendo quammaxime alieni forent sacri administri, et removerentur a sacra ara etiam illos qui sine culpa, et ob publicam utilitatem humanum sanguinem perfudissent. Tales sunt milites, Judices criminales, omnesque illi, qui concurrunt ad condemnationem capitis, vel abscissionem membri. Rejiciunt sacrae leges bigamos, et quamlibet progeniem ex illicitis conjunctionibus natam, servi, et publicis administrationibus addicti, ne praetendentes pietatem noceant dominis, ac publico bono; assentientibus tamen dominis, et reddita ratione gu-

bernationis, possunt initiari. Tutores, et curatores quoque, nisi postquam retulcrint de sua administratione. Alii repudiantur ob vitium corporis,insigni deformitate notati, qui in quemdam contemptum facile cadunt.

III. Ipsa aetas efficit ut aliqui ab ordinatione abstinere debeant. Ecclesia non eadem semper usa est disciplina, et alia aetas aliis praescripta est initiandis. Statutus a Tridentiuo est annus vigesimus secundus Subdiaconis, vigesimus tertius Diaconis, et vigesimus quintus Presbyteris, quamvis isti anni sint tantummodo inchoati. Tonsurae et Minoribus Ordinibus septimus expletus. Denique defectus scientiae Ordini suscipiendo consentaneae impedit, quominus ad sacrum munus exercendum quis possit seligi.

IV. Ex ipsa natura impedimentorum patet eorum alia perpetua esse, nullaque Ecclesiae auctoritate auferri posse; alia removeri. Potestatem remittendi obices a Lege sancitos diu exercuerunt Episcopi, et Concilia provinciae, postea ad Pontificem delapsa est; nec id licet Episcopis, nisi in jure sit cautum. Tridentini Patres Sess. 24 Cap. 6 de Reform. concedunt Episcopis removere omnes irregularitates ex occulto crimine manantes, excepto homicidio volontario, et iis irregularitatibus, quae ad forum contentiosum deductae sunt. Legite Berardi.

CAPUT XV.

DE VITA, ATQUE HONESTATE CLERICORUM.

I. Officia obeunda a Clericis, non quamlibet, sed egregiam, praestantemque virtutem, morum probitatem, vitae sanctitatem reposcunt. Illud enim perpetuo eorum animis obversari debet, destinatos esse ad regendum instruendumque populum, qui non tam praeclaris doctrinae praeceptis, quam spectatis receptis moribus afficitur, et incitatur. Hac de causa, Patres curarunt ut Clerici quamcumque criminis suspicionem fugerent, et vetarunt cum agapetis in eadem domo vitam gerere, ne ulla intemperantiae suspicio injiceretur. Praecipiunt pariter ut abstineant ab aleis, choreis, theatris, spectaculis, atque tabernis, et in omni vitae actione sanctitatis specimen prodeant.

II. Sed praeter vitia, fugere quoque debent Clerici illa quae a sacris officiis rite implendis abstrahunt animum; talis est negotiatio quaestuosa, a qua cavere debent, etiam ut non videantur divitiarum cupidi; idem judicium ferendum est de turpibus, sordidisque officiis, atque opificiis; artificia tamen honesta, modo non avocentur a suis muneribus, exercere possunt. Civiles, publicasque administrationes, vel privatorum procurationes sustinere nequeunt, nisi gravis causa, et communis utilitas exigant. Hinc illis interdicta tutela, curatela, causidicorum functiones, militarem vitam ducere, et plenas clamoris, ac strepitus venationes agere, criminalia judicia exercere, in quibus de capite, vel de sanguinis effusione disputatur.

CAPUT XVI.

DE CLERICORUM COELIBI VITA.

I. Inter multiplices regulas, quas custodiendas Latina Ecclesia praescripsit Diaconis, Presbyteris, Episcopis, est vita coelebs. Hanc ante Nicaenum Concilium constituerant Illiberitani Patres, canone trigesimo tertio. Ipsam firmavit Syrycius in Epistola ad Himerium Tarraconensem, qui per totum Occidentem promulgavit, approbarunt Africani Patres in Concilio secundo Chartaginensi anni tercentesimi nonagesimi, atque altero Concilio anni quatercentesimi deciminoni; ratam habuit Ambrosius in Libro de officiis, et in Epistola ad Vercellensem Ecclesiam; Innocentius primus ad Vitricium Rotomagensem, et Exuperium Tolosanum, Toletana prima, Taurinensis anni 401, Arausicana anni 441, Leo magnus in Epistola ad Anastasium Tessalonicensem, et Hieronymus adversus Vigilantium, constanterque usque ad decimum saeculum firma stetit majorum praescriptio.

II. De Subdiaconis per decem priora saecula, alia fuit ratio. De ipsis silent Syrycius, Innocentius, Hieronymus, aliique Patres. Verum Illiberitani Patres Subdiaconos comprehendunt, sicuti Leo magnus in Epistola ad Anastasium, et post ipsum Gallicani, Hispanique Episcopi eidem legi supposuerunt eos Subdiaconos, quibus vasa sacra tractare, et propius sacrae arae inservire permittebant. Eandem regulam etiam Africani Patres secuti sunt. Pelagius secundus Subdiaconis Siculis continentiam praecepit; huic adhaesit Gregorius Magnus scribens Siciliensibus, et Brutiis, aliisque; plura Concilia per idem tempus Pontificum

vestigia pressere. Coelibem vitam imperatam a Leone Magno Romanis Subdiaconis, et stabiliter servatam, firmarunt Eugenius II. Stephanus III. Nicolaus I. Agapetus II. Liberi vero, solutique fuerunt iisdem decimis saeculis minores Clerici a continentiae nexu.

III. Post decimum saeculum, fractis sacris repagulis, plures majores Clerici incontinentiae vitio sese contaminarunt, quibus occurrere volentes aliquae Synodi, omnes e Clero suis decretis complexi sunt, quorum labores irriti cum cecidissent, solis Subdiaconis, ceterisque majoribus Clericis continentia stabiliter fuit imposita, curis, atque vigiliis Benedicti VIII. Leonis IX. Gregorii VII. Paschalis II., et demum Tridentinorum Patrum.

IV. Hactenus dicta spectant Latinos; venio ad Graecos; primis tribus saeculis continentiam a Diaconis, Sacerdotibus, Antistitibus ex sola consuetudine custoditam fuisse censent Christianus Lupus in Dissert. de continentia Episcoporum, et Clericorum, Natalis Alexander in dissert. 3. in quartum saeculum, aliique qui in rem suam proferunt Ancyranum Canonem anni 314, qui dat facultatem Diaconis nubendi, si ante receptum Ordinem, se nolle continere professi sint, Neocaesarense primum, Origenem Homil. 25 in Numeros, Eusebium Lib. 1 Cap. 9, qui decere ajunt ut Sacri Ministri sint continentes: addunt sextum Canonem Apostolicum, et 27, atque Gangrensem quartum, ex quibus omnibus monumentis nihil tamen certi deduci posse unanimiter censent.

V. An Nicaenum Concilium utendi nuptiis eis qui sacris ordinibus sacrarentur libertatem abstulerit, non convenit inter eruditos, et nihil in eo definitum censeo. Post Nicaenos latius propagatam es-

se coelibem vitam, testificantur Patres, Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi decimasecunda, Basilius scribens ad Perigonium, Gregorius Nyssenus de Virginitate, Isidorus Peleusiota Lib. 5. Epist. 79, Joannes Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus Epistola 9, Epiphanius in expositione fidei, Hieronymus adversus Vigilantium. Lex continentiae praesertim indicta fuit Episcopis, et in ipsos Constitutionem etiam tulit Justinianus Nov. 6. cap. 1., et 2, atque usque ad haec tempora Graeci diligenter eam servarunt. Presbyteri vero, et Diaconi utuntur conjugibus, quas sibi ante susceptum Subdiaconi ordinem in matrimonio junxerunt ex venia Trullani Concilii 692, quod prohibuit iisdem sacris majoribus ministris omnes nuptias post captos Ordines; de Subdiaconis vero, et inferioribus Clericis vigesimus septimus canon Apostolicus vetat nubere post sacrum ordinem, exceptis Cantoribus et Lectoribus. Eandem disciplinam tenebant Graeci tempore Concilii Chalcedonensis, imo aetate Epiphanii quaedam Ecclesiae Subdiaconis quoque prohibuerant suis uti uxoribus.

CAPUT XVII.

DE CANONICIS.

I. Omnes Clerici, cum essent descripti in catalogum, *Canonem* nuncupatum, *Canonici* dicebantur; postea ista nomenclatura peculiariter imposita est iis qui quoddam vitae genus, Eusebium Vercellensem, et Augustinum Libonensem secuti, amplexabantur. Hic postremus, tempore Pipini, Metensem clerum in unam domum conclusit, in qua conjunctissime viventes ad similitudi-

nem Monachorum, comunem agebant vitam; una illis erat mensa, singulis vestes, et alia necessaria suppeditabantur, praestitutis oris ad supplicationes conveniebant, deserviebant Ecclesiae, et populi curam exercebant. Nullo tamen paupertatis voto adstringebantur, nec solemni caeremonia susceptum vitac institutum, ut Monachis mos est, jurati profitebantur. Suberant Episcopo uti capite; post Antististem selecti viri praepositi, et *decani* appellati, qui sustinebant Canonicorum curam, ut quisque suas partes rite expleret.

II. Saeculo decimo ab incepto recesserunt Canonici, et dissociatis comunitatibus, quae frequentissimae erant, primum bona Ecclesiastica in duas partes divisa sunt, una Episcopis, altera Canonicorum Congregationi obtigit, deinde praedia, et census, qui spectabant ad totam Canonicorum comunitatem, inter se partiti sunt Canonici, eaque pars, quae singulis tributa est, *praebendae* nomen accepit, eo quod data foret prae victu, ac vestitu, vulgari vocabulo praebenda appellatis, quia illis praebebantur dum in comunitate viverent. Petrus Damiani et Ivo Carnotensis ad pristinos mores studuerunt revocare Canonicos, qui ut constanter in instituto manerent, paupertatis voto constricti sunt; tunc orta est divisio inter Canonicos Regulares, et non Regulares.

III. Passim Canonicorum Collegium vocatur *Capitulum*, deprompta nuncupatione ex loco, in quem conveniebant, dum in comunitate viverent ad legendum aliquam partem regulae, quae Capitulum nominatur. Jussu Episcopi, stante vita comuni Canonicorum, aliqui interiorem domi disciplinam procurabant, aliqui bona Ecclesiae administrabant; ab hac tamen institutione delapsi Canonici, partitisque bonis, hae admini-

strationes, quae per se nullam jurisdictionem afferebant, et habebantur simplicia officia, dissimulantibus et convenientibus Episcopis, non solum in beneficia ob praedia illis adjuncta, sed in dignitatem causa adnexae jurisdictionis succreverunt; hinc effluxerunt dignitates Praepositi, Decani, Primicerii; inde distinctio inter Canonicatum, et dignitatem; ex hoc fonte manat jurisdictio Capitulorum, quam exercebant in Dioecesim Episcopi, et in eundem Antistitem. Privilegiis Pontificiis multum dilatarunt Canonici suam auctoritatem, quam Tridentinum, Sess. 25 de Reform. cap. 6. arctavit.

IV. Ipsa Canonicorum Institutio eos admonet ad pie sancteque mores conformandos, et attributa munera per semetipsos obeunda. Quare Tridentinum, Sess. 24. Cap. 2. de Reform. vetera praescripta confirmans imperat Canonicis ut in Choro ad psallendum institutis hymnis et canticis *devote*, *reverenter*, *distincte*, nomen Dei laudent, aliaque officia subeant. Si huic muneri desint, pro rata parte absentiae a Choro, fructus beneficii percipere nequeunt. Ex honesta causa singulis annis per tres menses permittitur Canonicis non residere; etiam ob servitium Ecclesiae, atque ad addiscendos sacros Canones, vel Theologiam in celebri Liceo ultra tres menses abesse possunt, nec hujusmodi absentia eos impedit a percipiendis fructibus beneficii, etsi careant quotidianis distributionibus, quae iis tantum impertiuntur, qui choro intersunt. Tamen Bonifacius VIII distributionum participes esse, *Capitulo unico de Clero*, voluit aegrotantes, vel qui ob violentam vim incussam, vel probabiliter incutiendam, aut propter suae Ecclesiae utilitatem, Choro non adessent.

V. Antistites cum Presbyteris et Diaconis olim Ec-

clesiae negotia tractabant. Canonicornm tantum opera saeculo duodecimo uti postea coeperunt, quos, instituta vita comuni, arctius sibi devincierant. Illos adhibebant, voluntatemque petebant in conferendis ordinibus, et beneficiorum materie regenda, in ferendis legibus, in Ecclesiae bonis distrahendis. Repudiata comuni vita, et inducta agendorum judiciorum forensi forma, alios Ministros elegerunt Episcopi, quibus plura mandarunt; imminuta hoc pacto est Canonicorum auctoritas, magisque decrevit, ex quo capitula impetrarunt privilegia, quibus ab Episcopi jurisdictione eximebantur, etiam in divisione bonorum inter Praesulem, et Canonicos transactum est de aliis juribus, et jurisdictionibus, sicque magis abstinuerunt Episcopi a Canonicorum consilio exposcendo.

VI. Sunt adhuc quaedam negotia in jure descripta, quae capituli assensionem desiderant, et irrita snnt solius Episcopi jussu, si fuerint definita. Hujus generis sunt alienatio rerum multi practii ad Ecclesiam spectantium, sic unio Ecclesiarum, et beneficiorum, ac generaliter negotia, quae utilitatem capituli attingunt; multa in hanc rem decrevit Tridentinum, et ad veterem dignitatem Canonicorum resistuendam jussit, ut Canonici in Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos distribuerentur, declarat posse Episcopos visitare Capitula, et assistentibus duobus Canonicis a Capitulo electis animadvertere in Canonicos criminosos, nisi timeatur de fuga, et cum eis processum prosequi. Dat etiam Episcopis facultatem convocandi Capitulum ad agendum de rebus gravibus ad totam Ecclesiam gubernandam.

VII. Vacua si fiat Sedes Episcopalis morte Antistitis, vel ipse ad aliam transferatur, vel suo gradu moveatur, sive sponte sese abdicet, vel morbo, aliave causa ad

gubernandum ineptus evadat, vel diutius abesse debeat, Presbyterium gubernacula sedis regebat, quod liquet ex Epistola Cypriani, Cleri Africani, et Romani. Haec cura sequentibus saeculis tradita fuit Episcopis interventoribus, quibus sublatis, Capitulum Cathedralis Ecclesiae, Ecclesiam Pastore carentem nativo jure gubernat. Ex praescripto Tridentini, sess. 24 de Refor. cap. 5., ad dissensiones impediendas sancitum est, ut Capitulum eligat administratorem, qui patrimonium Episcopatus procuret, aliumque destinet ad jurisdictionem dicendam, qui Vicarius Capitularis appellatur. Capitulum ordinaria potestate fretum est, quam proprio jure Vicario comunicat; ideoque ea omnia potest, quae cum ipsa sunt conjuncta et jure Canonum non fuerint Capitulo particulariter prohibita. Vetitum fuit primo Capitulum obire munera Ordinis Episcopalis, vel delegatae jurisdictionis Pontificiae. Cautum pariter est ne quidpiam moveat, vel suscipiat, quod Episcopi potestatem minuat, veluti alienare Ecclesiae bona, ac Beneficia, quorum attributio ad solum Episcopum pertinet, conferre.

VIII. Quare ea Capitulis concessa videntur, quae si differrentur, dilatio caderet in totius Ecclesiae perniciem. Ex adverso reservantur futuro Episcopo, quae licet producantur in dies, nullam jacturam faciet Ecclesia. Ceterum Vicarius Capitularis universam obtinet Capituli jurisdictionem, et de sua administratione debet futuro Episcopo rationem reddere.

CAPUT XVIII.

DE MONACHIS.

I. Decii ac Diocletiani Imperatorum crudelitate, qua Christi cultores proscindebant, perterriti complures religionis nostrae studiosi, in Ægypti vastam Thebaidis solitudinem se recipiebant, et in illa perfugium quaerentes, res divinas meditando, cursum vitae absolvebant. Pellexit alios ad hoc vitae genus suscipiendum aeternae salutis amor, incitavitque Pauli, Antonii, et Hilarionis celebritas, qui ad hosce homines instituendos, excolendosque adjunxerunt animum. Per Palestinae, ac Ægypti deserta loca dispersi vagantesque Anachoretae, humiles habitabant casas, sed quarto saeculo Pacomius aliique dedere operam ut quamdam in societatem consociarentur, et ad praescriptum determinatae regulae vitam ducerent.

II. Ex hoc principio profectum est aliud Monachorum genus, Caenobitarum nempe, qui primum incultos, et a populi frequentia remotos situs incoluerunt, et in urbem postea intulere pedem, maxime agente Basilio Magno, qui Monachis institutiones, et praecepta tradidit, et unam domum inhabitare coegit, eorumque opem in Arianos opportunam, et Ecclesiae fructuosam putavit.

III. In Occidente Monachorum disciplinam inchoavit Athanasius, Martinus Turonensis firmavit, dilatavitque Benedictus. Sexto saeculo hujus Sancti viri regula plurimi facta est a Conciliis, et Pontificibus, eorumque auctoritate constabilita. Ante Benedicti aetatem potius moribus inductis quam ratis, descriptisque praeceptionibus, Monachi gubernabantur, eratque po-

testas rectoribus Monasteriorum mutandi veterem, ac novam scribendi regulam. Compescuit hanc libertatem Benedictus, qui noluit a praescripta norma quempiam recedere.

IV. Uti Ægyptiaci, ac Palaestini Monachi, labore et manuum artificio victum sibi comparabant, sic et Occidentis Ascetae, in excolendis incultis sterilibusque agris industriam conferentes, erant nullis graves ac molesti, suaque industria necessaria vitae subsidia sibi parabant. Opibus postea ditatis Abbates, inter Regni Proceres relati, tradita Monasteriis civili jurisdictione in castra et villas, bellis aliisque calamitatibus afflictis, et disjectis Regnis, ab instituto recesserunt, ac Monachorum laus et dignitas cecidit. Eam reintegrare conati sunt saeculo decimo, ac sequentibus plures viri sanctitate insignes. Ita a S. Romualdo instituti sunt Eremitae Camaldulenses, anno 1012, a S. Brunone Ordinem Carthusianum, anno 1084, et a S. Roberto Molismensi anno 1098. Ordinem Cisterciensium.

V. Duodecimo saeculo, et speciatim decimotertio, novis propositis regulis, institutae sunt hominum communitates dissimiles iis quae antea extiterunt; hinc subortum novum genus Fratrum Mendicantium. Hujus instituti principes fuerunt S. Dominicus, natione Hispanus, et S. Franciscus Italus; alter ordinem Praedicatorum instituit; alter vero Minorum; utrumque ordinem Innocentius, et Honorius III. confirmarunt. Nec alii ordines defuere; nam Albertus Patriarca Constantinopolitanus Ordini Carmelitarum originem dedit anno 1203, et Guilelmus Parisiensis Eremitis S. Augustini anno 1204. Quin immo fuerunt etiam instituti ordines militares, qui tribus comunibus votis, paupertatis, castitatis, et obedientiae, aliud etiam adjun-

gunt; profitentur enim contra infideles Religionem armis propugnare. Tres praecipui sunt: Templarii, Hospitalarii, et Tentonici; Templarii ita dicti, quia prope templum Domini suas aedes haberent; a Clemente V. in Concilio Viennensi anno 1312, fuerunt e medio sublati. Hospitalarii in nosocomio S. Joannis infirmis ministrarunt, postea vero res Christianas mirifice adversus Turcas propugnarunt. Teutonici primo, hospitali, in gratiam Germanorum extructo, inservierunt, dein in obsidione Ptolemaidis, militiam etiam susceperunt.

VI. Adeo autem Conventus, Ordinesque Mendicantium increbuerunt, ut necessarium duxerint Pontifices modum praestituere, ne sub pietatis obtentu, quod pauperes de Lugduno sub Lucio III. tentaverant, gliscerent errores. Provisum itaque ne quis aliud institutum induceret sine Pontificia venia, lata lege in Concilio IV. Lateranensi, et Lugdunensi II. Si qui igitur fuerunt alii ordines, Clericorum regularium nuncupati; hi, duce S. Cajetano Tienco, Cleri saecularis reformationem providissime susceperunt, et sanctissime obtinuerunt.

CAPUT XIX.

DE MONACHORUM STATU, MONASTERIORUM EXTRUCTIONE, DESTRUCTIONE, ET EXEMPTIONE.

I. Ad sacrorum canonum intelligentiam advertere oportet, Monachos principio in Clericorum numero minime fuisse descriptos, sed populo ac plebi accensitos, rejectosque a quolibet sacro officio obeundo. Ex ipsis identidem selecti sunt viri spectatae pieta-

tis, ac doctrinae ad populos regendos; aliqui etiam Sacerdotio sacrati, ut Monachis ab urbe longe disjunctis rem sacram facerent; in magna etiam ministrorum charitate Episcopi compulsi sunt aliquando sacra munera Monachis tradere. Hisce principiis ac progressionibus consuetudo stabilita est, ac effectum, ut sacris ordinibus generaliter consecrarentur, et clero veluti consociarentur.

II. Rite, appositeque constituit Chalcedonense Concilium, extruendum nullum Monasterium sine Episcopi consensione, quod necessarium declarat Tridentinum Sess. 25 de Reform. Cap. 3; alias etiam cautiones adhibendas praecipiunt Bonifacius VIII. Clemens VIII. Gregorius XV. Urbanus VIII. Innocentius X., definiuntque Romanae Sedis facultatem obtinendam, Parochi, Cleri, Populi, aliorumque regularium assensionem impetrandam, ne tumultus excitentur, et stabilitis Regularibus noceatur.

III. Interest aliquando Ecclesiasticae potestatis regularium institutum extinguere, et abrogare. Viennense Concilium substulit Æquites Templarios, Pius V. excidit institutum humiliatorum, et Clemens XIV. Jesuitarum, quos postea restituit Pius VII. In tam gravi tantoque negotio auctoritas sacra debet deliberare, ut abrogatio undique rite publicetur, bonaque deleti Ordinis, si qua sunt, in publicam Ecclesiae utilitatem prudenter distribuat, et aliunde hominibus deleti Ordinis provide consulat.

IV. Episcopi a Christo electi ad regendum populum, etiam Monachorum sollicitudinem habeant oportet. Monachos Episcoporum jurisdictioni obnoxios esse declarat Canon quartus Chalcedonensis Concilii, et tota antiquitas testatur, ita ut si aliquod Mo-

nasterium asserat minime subesse Episcopo, suae immunitatis monumenta afferre debet, cum generalis regula sit, Episcopum exercere potestatem in omnes, qui in finibus suae Dioecesis continentur, ex Bonifacio VIII., Capitulo septimo de Privilegiis, in sexto.

V. Interior, atque externa Monachorum disciplina erat concredita Episcopis, qui praesidebant administrationi Patrimonii, divino Cultui, et ut Monachi exercerent regulae institutiones; a Monachis electum Abbatem sua auctoritate firmabant. Verum Episcoporum aliqui necessariae, ac perutilis vigilantiae terminos exeuntes, electionem Abbatum sibi vindicabant, Monasteriorum census arrogabant, a Monachis vectigalia, tributaque exigebant, quibus incomodis occurrere volentes Romani Pontifices, illis impertierunt privilegia, quibus prohiberentur Antistites ab inferenda noxa; nunquam vero impedirentur a salutari cura in Monachos habenda. Quare si germana sexti saeculi, et sequentis aetatis usque ad decimum saeculum privilegia conspiciamus, ea eligendi Abbatis, et administrandi bona tribuunt Monachis facultatem, vetantes Episcopis quidpiam reposcere causa Sacrorum Ordinum, vel Consecrationis Abbatum, aut visitationis Monasterii, aut nomine Synodatici, aut Cathedratici; simul imperantes, ne solemni pompa in templis Monachorum sacrificent, ne distrahantur Monachorum animi; verum perspiciendi, vigilandique, ut ad regulam, et bene institutam disciplinam omnia in Monasteriis disponantur, perficianturque. Privilegia vero concessa a decimo usque ad totum decimum tertium seculum, et si quid amplius liberaliter tribuitur, id spectat libertatem accipiendi Ordines a quocumque vellent, ut fugerent simoniacos Episcopos, et Mona-

steria libera declarata, fundata erant a. Regibus, in locis plerumque nullius Dioecesis, etiam ex petito Episcoporum consensu.

VI. Illud pariter non dissimulandum interdum privilegiis abusos esse illos, qui iis fruebantur, et in hosce homines multa graviter et erudite scripsisse viros doctrina, et sanctitate insignes. Quare in Lateranensi III. et IV. ac Viennensi generalibus Conciliis de temperandis privilegiis actum est, et cum occasione schismatis in immensum succrevissent, a Constantiensi Concilio rescissa, et abrogata sunt omnia privilegia post obitum Gregorii II. impetrata.

VII. Demum Tridentini Patres Sess. 6. Cap. 3 et Sess. 25. Cap. 14, mediam incedentes viam, saluberrime deliberarunt, ut Episcopi, delegata Pontificia auctoritate visitarent, ac punirent Monachos exemptos habitantes extra claustra, si delinquerent; eos vero qui viverent in Monasterio, et extra Monasterium publice peccarent, si Abbates ab Episcopis commonefacti rato tempore nôn plecterent, Antistes in illos animadverterent; inhibitumque a Clemente VIII. superioribus ne suos criminosos e Dioecesi emitterent in alienam ditionem, data insuper facultate Episcopis visitandi Monasteria Commendata, aut in Congregationem non sociata. Cautum ut nullus Regularium sine approbatione Episcopi Sacramentum poenitentiae ministraret, vel Episcopo contradicente in sua etiam Ecclesia concionaret; praeceptum ut ab Episcopo Dioecesis acciperent Ordines, et in exercendo Dei cultu, et in agendis diebus festis parerent legibus, et moribus Dioecesis, Interdicta Episcoporum servarent, et ab Episcopi jurisdictione in animarum cura gerenda, omnino penderent.

VIII. Monialium clausura commissa etiam fuit Episcopis, et plena collata potestas in Moniales Sedi Apostolicae immediate subjectas. Postremo advertite, quaedam Monasteria a regibus fundata, et in specialem tutelam recepta, multis gaudere privilegiis, quorum non parum habendam esse rationem, docet ipsa Tridentina Synodus. Haec sunt praecipua de immunitatibus Regularium, Tridentinorum Patrum decreta; quae omnes tenentur adamussim observare.

CAPUT XX.

DE PROBATIONE, ET PROFESSIONE MONACHORUM.

I. Imprudentis est suscipere aliquod vitae genus, re prius non agitata, et deliberata. Quamobrem statutum est spatium temporis, locusque definitus, in quo viri cupidi amplectendi alicujus regulae institutiones periculum facere possint num illa vivendi ratio eis conveniat; ceterique experiantur, an qui profiteri exoptant, sancto constantique proposito incitentur, vel inconsulte moveantur. Ægyptii, pluresque Orientales triennium probationis, Gregorius Magnus biennium, Sanctus vero Benedictus annum unum probationis praescripserunt. Annuam probationem firmavit Tridentinum Sess. 25 de Regularibus, diuturniorem probationem minime improbans. Anno probationis integrum est cuique discedere, et quo liberius abire posset, irrita declaratur quaelibet renunciatio bonorum, vel obbligatio, etiam jurata, nisi inita fuerit intra duos menses professioni proximos, fueritque Episcopi consensione firmata, suumque effectum consecutura solum post professionem. Duplex professio exi-

stit; aperta, et solemnis singularibus cujuslibet ordinis ritibus inclusa; altera tacite et implicite emittitur ab eo, qui vestem induit, et ultra probationis spatium ipsam gestans, reliqua Monachorum officia implet. Ætas ad vota nuncupanda idonea non eadem semper fuit. Latini decimumsecundum annum a faeminis, decimumquartum a masculis postulabant; minorem Graeci exposcebant. Tridentinum Concilium decimumsextum absolutum constituit, una simul permittens provectiorem aetatem reposcere, si hoc regula praescribat, justaque causa exigat.

II. In professione religiosa, praeter vota, inest veluti quaedam pactio, qua vovens se instituto vitae generi obstringit, et vicissim Monasterium voventi se alligat. Porro pactorum natura, ac votorum praestantia requirunt animum liberum, solutumque ab omni vi, et metu, atque prudentem consensionem. Quare si aperta violentia inferatur, aut injiciatur metus cadens in constantem virum, scinditur professio per sententiam Judicis, modo intra quinquennium a die professionis ad superiorem Ordinis, et apud loci Ordinarium querela deferatur, et lis moveatur, nec postulans de metu et dolo recesserit a Monasterio. Ceterum professio religiosa perpetuitatem affert susceptae vitae; ad cavenda autem graviora mala, impediendamque contagionem comunitatis, veterem, sed sublatam a Gregorio IV. facultatem ejiciendi e conventu perditos obstinatosque Monachos, restituit Urbanus VIII.; hos autem non prius expellere permittit, quam fuerint jejunio, asperisque functionibus castigati, et in pravo proposito permanentes, Pontificia venia impetrata, arceri possunt. Vetat Trident. Sess. 25, transire ab arcta

ad laxiorem regulam; tamen ob infirmitatem concedunt Pontifices.

III. Ad intelligentiam veterum Canonum advertatis velim consuevisse olim parentes tradere filios, adhuc tenerae aetatis, Monachis vel Episcopis, ut Clero, vel Monachorum numero adscriberentur. In iis recipiendis caeremoniae, ritusque adhibebantur. Per hanc descriptionem alligabantur Clero, et Monachorum vitae ita adstringebantur, ut eam deserere nequirent, maturam aetatem assecuti. Saeculo nono imminuta est tanta parentum potestas, et per Coelestinum III., ac Innocentium III. in libertatem vindicati sunt filii. Huic consuetudini altera prope similis erat qua criminosi Clerici vel Laici, Monasteriis includebantur, et tondebantur; quae quidem consuetudo nunc temporis est prorsus antiquata. Legite Marthenem de antiquis Monachorum ritibus Lib. 5, et seq. Nonus Chalcedonensis Canon, aliique vetant recipere ad agendam Monachorum vitam servos invitis dominis; hoc confirmavit Valentinianus III.; immo Justinianus dat facultatem revocandi intra triennium servos criminosos. Publicis quoque officiis addicti repelluntur, antequam suae administrationis rationem reddiderint. Denique matrimonio juncti alterutro dissentiente vovere nequeunt, si maritali licentia usi sint.

IV. Triplex vinculum affert religiosa professio, obedientiae scilicet, castitatis, et paupertatis; per obedientiam Monachis jussa superiorum expendere non licet, ideoque a veteribus *caeca* fuit nuncupata, et in perfecta sui ipsius abnegatione consistit; per paupertatem nihil Monachus potest habere proprium propter voti religionem, et ideo dare, vel accipere pro-

hibetur sine Abbatis venia; castitas denique monachos maritos esse non patitur, et etiam omnem venereum actum sive internum, sive externum illis interdicit. Legite Thomassinum, ac Fagnanum.

V. Hactenus dicta de Monachis, generaliter conveniunt etiam monialibus. Illud peculiariter ipsis indictum a Bonifacio VIII in Capitulo 1., de regularium statu, et imperatum a Tridentino Sess. 25 de regularibus. Cap. 5, ne claustra egrediantur, vel alienus ingrediatur, tantique negotii cura tradita Episcopis, qui gravissima ex causa exeundi facultatem possunt monialibus largiri, impetrata prius a Pontifice venia. Legite Joannem Thiers de monialium clausura. Summam, diligentemque operam dederunt Pontifices, ne qua simoniae labes glisceret in religiosa vestitione, ac professione, cujus causa, atque obtentu, aliquid terrenum exigere, iniquum est, ac vituperabile. Videte Moralis Theologiae Tractatores.

INSTITUTIONUM
JURIS CANONICI

LIBER II.

PARS PRIMA.

DE REBUS SACRIS.

Res sacrae, aut sunt omnino spirituales, veluti Sacramenta, aut ad ea accedunt quammaxime, uti templa, arae, aliaque similia : vel terrenae, quales sunt decimae, vel beneficiorum redditus etc. Illa per se, et sua institutione ad animarum salutem sunt destinata; ista vero ad sustentandum sacros ministros, et comparanda necessaria ad exercendum cultum sunt inducta. Incipiamus a Sacramentis.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS.

Inter res sacras principem locum habent Sacramenta a Christo instituta ad aeternam hominum salutem; et septem enumcrantur, videlicet, Baptisma, Confirmatio, Poenitentia, Eucharistia, Extrema unctio, Ordo Sacer, et Matrimonium. Illud est comune omnibus Sacramentis, ut sint signa sensibus subjecta ad inte-

riorem gratiam in animis producendam, a Christo stabilita. Praeter gratiam, Baptisma, Confirmatio, et Ordo characterem imprimunt, seu nota quadam perpetua, ac constanti animum afficiunt. Omne Sacramentum ex tribus constat, scilicet materia, forma, hoc est verbis, ac ministro, qui materiam et formam tractet serio, et deliberate. Tota vis atque efficacia Sacramentorum fluit a dignitate, et excellentia Auctoris, qui eadem sancivit. Ut fructuose Sacramenta ab hominibus recipiantur, sunt necessariae quaedam animi praeparationes. Haec pertinent ad Sacramenta in genere; dicamus modo de Sacramentis in specie.

BAPTISMA.

Baptisma est novae legis sacramentum, cujus materia est aqua naturalis, eaque applicanda hominibus immergendo, vel aspergendo, vel etiam infundendo. Formam haec verba constituunt: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Adhibentur quoque particulares ritus ab ipsis Ecclesiae primordiis, et apud antiquos celebres sunt chatecumenorum ordines, de quibus Marthene de antiquis Ecclesiae ritibus, et Cardinalem Bona. Si excipiamus aquam naturalem, et formam, reliquae caeremoniae non attingunt naturam Sacramenti; et in gravi necessitate praeteriri possunt. Minister est Episcopus, et Parochus; si vero immineat periculum vitae, quilibet etiam conferre potest. Quaelibet aetas idonea est ad suscipiendum Baptisma, quod tamen omnibus hominibus est penitus necessarium ad vitam aeternam. Auctores distinguunt triplex Baptisma, fluminis nempe, voti, et Sanguinis, seu martirii; si primum capi

nequeat, alterutrum posteriorum supplet. Baptisma delet peccatum originis in infantibus, et insuper in adultis delicta libere patrata, gignit in animam multiplicem gratiam, et characterem infigit, atque per hoc Sacramentum homines societatis a Christo institutae participes fiunt.

CONFIRMATIO.

Inter Sacramenta Christi recensetur secundo Confirmatio, ejusque materia sita est in manuum impositione sacri Ministri super confirmandum, ac in unctione Chrismatis, quo Episcopus frontem petentis Sacramentum inungit. Utrique ritui sua respondet forma. Solius Episcopi munus est Confirmationem conferre, quamvis auctoritate Pontificis etiam a sacerdote simplici possit, tamquam a ministro extraordinario, aliquando ministrari. Necesse est suscipientem sacram confirmationem carere gravi culpa. Per se omnis aetas apta censetur ad illud accipiendum, modo differatur usque ad rationis usum. Si absit contemptio, ac affectata negligentia, homines sine confirmatione vitam aeternam consequi possunt. Confirmatio apportat incrementum gratiae, addit vires ad strenue certandum contra comunem hostem, atque inserit characterem.

EUCHARISTIA.

Omnium Sacramentorum praestantissimum jure habetur Eucharistiae Sacramentum, per quod homo fit particeps veri corporis, et sanguinis Christi. Materia remota hujus Sacramenti duplex est; panis triticeus, qui a latinis adhibetur sine fermento, et vinum ex uvis

expressum, cui admiscetur aqua; proxima est ipsum Christi Corpus, et Sanguis sub speciebus panis, et vini latitans; forma vero sunt verba consecrationis convenientia utrique materiei. Per consecrationem materia panis, ac vini convertitur in ipsum Corpus, et Sanguinem, solaeque remanent species. Administri sunt Sacerdotes; quilibet fidelis adultus, qui gravi scelere non sit constrictus, potest et debet semel in anno Paschali tempore accedere ad tantum Sacramentum; indigni vero abstinere debent ab Eucharistia, et publici criminosi arcendi sunt. Innumera caelestia bona hoc Sacramentum digne suscipientibus affert. Illud peculiare habet Eucharistia ut contineat etiam veram rationem sacrificii non cruenti, quia verba consecrationis ad litteram intellecta significant corpus esse sub speciebus panis, et sanguinem sub speciebus vini, et cum omne humanum corpus sine sanguine mortuum sit, ex vi verborum, mystica separatio corporis, et sanguinis indicatur; cum vero recipiat Sacerdos corpus et sanguinem, totum sacrificium absolvitur. Semper autem haec mirabilis hostia Deo immolatur; eoque pacto sacrificii non cruenti omnes numeros habet. Per illud Deum colimus, eique gratias agimus, atque ipsum placamus.

POENITENTIA.

Noverat Christus perceptam in Baptismo gratiam fideles, obsecundando pravis cupiditatibus, non esse custodituros; ut igitur factae jacturae praeparare posset salutare remedium, eis paravit in Sacramento poenitentiae, remedium istud; hinc in diversis actibus ponit Trid. Conc. Sess. 14. materiem poenitentiae. Ho-

rum actuum primus est contritio, dolor nempe susceptus a reo ob fractas divinae justitiae Leges, et injuriam Deo illatam, uti est omnis justitiae fons; debet praeterea dolor iucludere firmum, ac stabile propositum posthac non peccandi. Confessio est alter actus, per quem homo reus sese accusat, aperitque sacro ministro omnia gravia peccata, et levia quoque si velit. Postrema pars poenitentiae est satisfactio, et hanc implet deliquens, si omnia sibi praescripta a sacerdote pietatis officia obiverit. Meminerint poenitentiae ministri aequas, sed tamen consentaneas gravitati scelerum irrogandas poenas; nemo enim ignorat quantam in hac re operam dederint majores nostri, et vetus disciplina de vario poenitentium ordine celebris est, de qua Marthene, et Morinus de poenitentia. Forma sunt verba quae profert sacerdos dum reum absolvit, scilicet, ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis tuis. Minister est Episcopus, et quilibet sacerdos a suo Antistite approbatus. Quaecumque flagitia, aut levia peccata post Baptismum admissa delet sacramentum poenitentiae, largitur interiorem gratiam lapsis post Baptisma, et consciis de gravibus noxiis est penitus necessarium, ejusque cum contritione desiderium, absente sacerdote, et impendente morte, veniam impetrat. Semel in anno in Paschate a Christi fidelibus percipiendum est.

EXTREMA UNCTIO.

Extrema unctio a Christo parata fuit aegrotantibus, et graviter de vita periclitantibus. Hujus materia est oleum olivae, ab Episcopo in die coenae Domini sacratum, quo Sacerdos inungit quinque corporis sensus,

vel unum, si violentia morbi hoc exposcat. Forma sunt verba praescripta, quae profert Sacerdos inungens aegrotum. Sacerdotibus concredita est administratio hujus sacramenti, et specialiter parochis commissa. Soli fideles ratione utentes possunt illud recipere, et ii qui ob aegritudinis vim in discrimen vitae sunt adducti. Abstergit peccati reliquias, additque animum ad morbum patienter ferendum.

ORDO SACER.

Ordo sacer definitur Sacramentum novae legis impartiens potestatem conficiendi, et dispensandi Eucharistiam. In septem veluti partes dividitur ordo, sed unus et individuus est, quia illae partes referuntur ad unum finem, scilicet ad Eucharistiam perficiendam, et administrandam. Septem enumerantur Ordines. Primus est Sacerdotium, quod attribuit potestatem conficiendi, et offerendi Eucharistiam, necnon remittendi peccata.

Materiam collocant Doctores in impositione manuum Episcopi, et in traditione patenae cum pane, Calicisque cum vino, et aqua. Formam ponunt in verbis convenientibus materiae. Alii ordines sunt diaconatus, subdiaconatus, et hi tres, incluso Presbyteratu, sunt majores: quatuor vero minores, acolythatus, lectoratus, exorcistatus, et ostiariatus. Horum ordinum materiam constituunt instrumenta, quae attribuuntur suscipientibus ordinem. Forma vero sunt verba ab Episcopo prolata cum tradit illa instrumenta. Praeter instrumenta ordinis, Episcopus Diaconis manus imponit. Ordinis minister est Episcopus; ex privilegio quatuor minores etiam alii sacerdotes conferre queunt. Ordo

imprimit characterem, et virtutem largitur ad munia cum ordine conjucta diligenter explenda, interioremque gratiam attribuit.

MATRIMONIUM.

I. Matrimonium duplicem rationem habet; est enim civilis pactio, et novae legis sacramentum. Ut est novae legis sacramentum confert sponsis gratiam et vim servandi initum pactum et explendi officia quae ex conjugio consequuntur: dissident auctores in declaranda materia, forma, et ministro. Quidam putant materiam esse contrahentium corpora, ministros ipsosmet nubentes, et formam verba vel signa explicantia consensionem in conjugio. Ajunt alii pactionem initam tenere materiae locum, necessarium ministrum aestimant sacerdotem, formam in his verbis, quae adhibet sacerdos. *Ego vos conjungo in matrimonium.*

II. Matrimonium in se ipso spectatum multiplicem affert investigationem. Et primo quidem de sponsalibus. Sponsalia sunt quaedam praeparationes ad nuptias agendas, et rite definiuntur: *futurarum nuptiarum promissio libera et vacua ab omni vi et metu ab utrisque paciscentibus approbata.* Fidem alteri dare possumus sine ulla conditione, vel ea adjecta, conditio turpis, vel quam implere non est possibile, aufert consensum.

III. Quicumque a celebrando conjugio non prohibentur, hi sponsalia possunt inire, modo opportunam ætatem attigerint. Hinc rejiciuntur Sponsalia eorum qui septimum annum non sunt assecuti. Ex sponsalibus duo fluunt. Primum est, nubant oportet, qui fidem sibi dederunt, alius vero effectus est impedimentum publicæ

honestatis, quod tantummodo exoritur ex sponsalibus firmis, et tale impedimentum non progreditur ultra primum consanguinitatis gradum.

IV. Plura incurrunt, ob quae solvuntur nuptiarum promissiones, videlicet per mutuam consensionem, si alteruter in hæresim cadat, vel fornicetur, morbumque perniciosum contrahat. Rumpuntur pariter sponsalia, ingrediendo aliquam religionem, vel solemniter Deo vovendo, aut nubendo, incurrendo aliquod impedimentum, veluti affinitatis, aut simile; per diuturnam absentiam, vel dilationem ultra tempus statutum, si non steterint promissis, vel exoriantur dissidia inter sponsos. Decernit Tridentinum Sess. 24 Cap. 1. futura conjugia tribus diebus festis a Parocho conclamanda esse, ut impedimenta, si quae fuerint inter desponsatos, cognoscantur.

V. Nuptiae sequuntur desponsationem. Conjugium situm est in libera ac deliberata, et conspicua maris ac foeminae consensione, qua sese obstringunt ad individuam vitam perpetuo simul agendam, ac sibi tradunt mutuam in corpora dominationem ad filios gignendos. Stabile et perpetuum esse vinculum, quod injiciunt nuptiae, ratio suadet, certos nos reddunt divinae litterae, juxta illud: *quos Deus conjunxit, homo non separet*; hoc idem testificatur denique sacra vetustas. Foeminae duodecimum annum, et mares 14 nati, ac recta ratione utentes matrimonium agere possunt, nisi aliquo fuerint irretiti impedimento. Consensio ad conjugium celebrandum exprimenda est signis ac vocibus, non futuram, sed praesentem assensionem declarantibus. Ut autem legitimum sit matrimonium agendum est ad normam legum. Juris canonum Interpretes matrimonium ratum illud dicunt quousque conjuges non sunt usi maritali licentia; postea quam vero matrimo-

nio usi fuerint, vocant nuptias matrimonium consummatum. Multae existunt praeceptiones statuentes modum ineundi connubium.

VI. Interdictae principio sunt nuptiae iis qui sunt impedimento aliquo constricti. Impedimenta distinguuntur in ea quae nubere vetant, sed matrimonium peractum non irritant; alia prorsus dirimunt, et rescindunt: priora dicuntur impedimenta *impedientia*; altera vero *dirimentia*. Antequam haec exponam, constituendum primo est num a sacra potestate impedimenta dirimentia rescribi debeant. Enimvero, si Ecclesia est societas, et omnis societas suas habere debet leges, quibus regitur, multo magis Ecclesia potest sibi leges constituere, praecipue circa ea quae ad matrimonium attinent, cum sit fundamentum, et basis Ecclesiasticae societatis. Merito igitur Tridentinum definivit, Sess. 14 Can. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse, anathema sit*, et alibi Sess. 26 Can. 12. *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare Judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Si qui igitur summi imperatores quaedam de matrimonio sanxcrunt, ipsum non attingunt vinculum, sed vel antecedentia, vel consectaria in iis quae temporalia sunt, respiciunt.

VII. Venio nunc ad ipsa impedimenta dirimentia enucleanda, quae omnia hisce versiculis enumerantur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Affinis, raptor, si clandestinus, et impos,
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

VIII. Error irritans nuptias afficit personas nubentium, efficitque ut ejus mulieris conjugio quis assentiatur, quae diversa est ab ea, cui conjungi vult, veluti Meviae nubit, quam Semproniam aestimat. Nullum quoque facit matrimonium qualitas personae, si principaliter in eam animum intenderit qui assensionem praebet.

IX. Servorum connubia inania olim erant sine permissu dominorum; firma et stabilia post duodecimum saeculum aestimata sunt. Immo talia habentur etiam illa quae iniuntur ab homine libero, et faemina servili, modo conjux non ignoret consortis servitutem. Nunc servitus stricte sumpta vix aut ne vix quidem apud barbaros invenitur.

X. Votum simplex celibis vitae impedit, non dirimit matrimonium. Continentia imperata iis qui capiunt majores ordines, vel quam quis profitetur in approbata religione, matrimonium dirimit. Nam decretum Callisti II. et Innocentii II. latum anno 1139 vinculum connubiorum rescindit, quod quidem decretum postea confirmavit Bonifacius VIII. in cap. unico, in VI., clarius explicuit Joannes XXII., et demum sanciverunt Tridentini Patres, Sess. 24 de matrimonio, Cap. 9.

XI. Si quis fidem dederit mulieri, aut nupserit ei, quae alteri erat juncta, idque probe noscat, ipsaque sit abusus, nullius praetii sunt nuptiae, etsi post mortem mariti illas celebraverit. Eodem modo nuptiae ab iis peractae, qui cum adulterio vivente conjuge insidias vitae paraverit, inanes censentur. Pariter homicidium illatum marito, ut possint se in matrimonium conjungere, modo uterque criminis sit particeps, nullae sunt.

XII. Omnino sunt interdictae nuptiae Christi cul-

toribus cum illis, qui non sunt baptismate initiati. Nullum pariter vinculum afferunt matrimonia acta per metum, qui prudentem, constantemque virum perterrefacere potest. Sponsalia ad praescriptum legum inita abrogant conjugium cum sponsi, et sponsae consanguineis in primo gradu. Hoc ipsum impedimentum publicae honestatis gignit etiam matrimonium ratum et producitur usque ad quartum gradum, nec refert matrimonium fuisse irritum, modo tale non fuerit ob defectum consensus.

XIII. Ad suscipiendam prolem nuptiae cum sint institutae, quicumque causa aegritudinis, vel corporis vitio erant inepti ante matrimonium ad sobolem gignendam, inane reputatur, si quod connubium ferierint. Tridentini Patres Sess. 24 de Matrim. Cap. 6. dirimens impedimentum constituerunt interesse inter eum qui faeminam etiam liberam violenter abduceret, quousque raptoris potestati subjaceret.

XIV. Incestas nuptias semper rejecit jus naturae, atque improbavit, et sacrum civile. Non eaedem tamen, quas Ecclesia duxit incestas, judicatae sunt in jure civili. Nefariae et incestae ipso jure naturae putantur nuptiae inter parentes, et generatam prolem; generatim vero inter hos, a quibus exoritur linea recta ascendentium et descendentium usque in infinitum gradum nuptiae celebratae sunt nullius praetii. Idem judicium tulit Ecclesia de matrimonio fratrum ac sororum. In conjugiis consanguineorum, ex quibus componitur linea transversa aequalis usque ad septimum gradum dirimens impedimentum dilataverant canones; illud autem ad quartum gradum contraxit Innocentius III., et Trideutinum concilium. In supputandis gradibus consanguineitatis triplici regula jam dudum recepta utitur Ecclesia; pro linea recta ascen-

dentium et descendentium haec est, quot sunt personae de quibus quaeritur, enumeratis intermediis, subducto stipite, tot sunt gradus. Pro linea laterali aequali quo gradu distant a comuni stipite, sunt inter se conjuncti, vel disjuncti. In linea laterali inaequali quo gradu remotior distat a comuni stipite, eo differunt inter se. Impedimentum irritans affert affinitas, quae fluit ex conjugio per conjunctionem conjugum absoluto. Affinitatis impedimentum interponitur inter conjugem, et consanguineos mulieris, et inter faeminam, et consanguineos mariti usque ad quartum gradum, aestimatum ad normam canonum in linea transversa; in linea vero recta ascendentium, et descendentium usque in infinitum, ex publica honestate. Affinitas manat quoque ex illicitis consociationibus. Hanc Tridentinum conclusit intra secundum gradum.

XV. In administratione Sacramenti baptismatis et confirmationis, praeter sacrum ministrum, et recipientem Sacramentum, adsunt etiam sponsores, de quibus statuit Tridentinum ut esset inter hos dirimens impedimentum, nempe inter sponsorem, et baptismate vel confirmatione sacratum, ejusque genitores, nec non inter ministrum Sacramenti, et parentes filii initiati. Adoptio etiam parit impedimentum inter adoptantem et adoptatum, et eos qui per adoptionem locum tenent filiorum et parentum.

XVI. Tridentini Patres, Sess. 24 de Reform., ut innumeris malis mederentur, legem tulerunt qua irritantur matrimonia celebrata absentibus Parochis nubentium, et duplici teste. De conjugiis quae feriuntur invitis parentibus illud habetote: Sanctos Patres constanter accusasse gravis culpae hujusmodi incon-

sultos, et improvidos filios; eorum tamen matrimonium validum est.

XVII. Vinculum quod affert matrimonium maritalis stabile ac perpetuum est, hoc suadente cura prolis habenda a parentibus, nobisque omnem dubitationem adimentibus sacris litteris, ac traditione; quare Tridentini Patres, Sess. 24 de matrimonio, Canone septimo, anathema dixerunt iis, qui affirmabant Ecclesiam errare cum docet non solvi vinculum conjugii per adulterium alterutrius conjugis. Mors dissolvit conjugium, et matrimonii nexus rumpitur quoties nuptiae celebratae sunt ab hominibus baptismate non consecratis, et alter conjugum nostram Religionem amplexus, deseritur a consorte, ex Paulo Apostolo I. ad Corinthios, capite VII; non est tamen opportunum fidelem conjugem discedere a nuptiis infidelis, nisi pertimescat de defectione a Religione. Decernunt sacra jura professionem religiosam rumpere vinculum matrimonii rati; permissumque etiam est post maritalem licentiam, utroque conjuge consentiente, sejungere talamum, et solemnia vota in approbato instituto nuncupare.

XVIII. Ab impedimentis prohibentibus nuptias, paucis me expedio. Illicitae sunt nuptiae celebratae contra praeceptum Episcopi, vel peractae intra tempus quod excurrit ab Adventu usque ad Epiphaniam, et a die Cinerum usque ad octavam Paschae, necnon quando adsunt sponsalia cum alia persona, et per Ecclesiasticam potestatem nondum fuerunt soluta, ac denique votum simplex castitatis, vel ingrediendi ordinem in Ecclesia approbatum; quae omnia in hoc versiculo continentur;

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

XIX. Ex hactenus dictis, perspicuum est, impedimenta manantia a jure naturae perpetua esse; quae vero Ecclesia impedimenta intulit, ab ipsa possunt remitti. Qui enim legem facit potest illi dispensare, et ex fide definitum est a Tridentino Sess. 24. can. 3., *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit.* Quae quidem dispensandi facultas, inter causas majores relata, ad Summum Pontificem pertinet. Si tamen necessitas gravissima urgeat, licet etiam Episcopis, qui generaliter impedimenta dirimentia occulta relaxant, dispensare, modo conjuges nupserint, et intervenerit bona fides, atque ignorantia facti, vel juris, carens omni culpa, nec facilis ad Pontificem pateat aditus. Impedientia vero plene auferunt Antistites, dempto impedimento, quod oritur ex sponsalibus, vel voto simplici perpetuae castitatis, vel profitendi in approbata Religione.

XX. Fas quoque est separare thorum, adulterii causa, vel ob crudelitatem conjugis, morbique contagionem, aliamque gravem causam ab judice cognoscendam.

XXI. Christi religio vetat simul plures sibi jungere uxores, ad primigeniam formam instaurato matrimonio; ast sinit legitima uxore defuncta, alteram ducere, pluriesque similiter nubere. Majores nostri bigamos, trigamosque ad præscriptum canonum poenitere cogebant ob intemperantiae suspicionem, quam bigami vel trigami injicere videbantur. Ceterum, Ecclesia nunquam damnavit secundas nuptias, licet eas solemni

precatione non sacret, quod ista conjugia plene non repraesentent conjunctionem Christi cum Ecclesia, quam virginem sibi despondit.

CAPUT II.

DE ECCLESIIS.

I. Ecclesiae nomine significo locum in quo fidelis populus convenit ad divinum cultum exercendum. Variis nominibus hanc rem declararunt veteres, apud quos frequentiora sunt nomina *Templi*, *Basilicae*. Publicis templis caruere fideles primo saeculo; ast secundo, et tertio non fuerunt expertes privatis locis destinatis ad rem sacram faciendam. Quarto saeculo, Constantino magno regnante, amplissimae et splendidissimae Basilicae extructae sunt, et divina officia summa cum pompa, ac celebritate peracta.

II. Nullum Ecclesiae genus construendum est sine permissu Episcopi, in cujus Dioecesi edificium extruitur. Hoc jubet Chalcedonense Concilium, canone 4, et custoditum, stabilitumque fuit ad novitates cultus, et perturbationes fugiendas. Quare de utilitate, et necessitate Ecclesiae aedificandae judicare debet Episcopus, illudque cavere ne populus ab Ecclesia paroeciae abstrahatur.

III. Edificii forma consentanea sit oportet disciplinae receptae, ac firmatae. Statuunt canones consecrandam, aut saltem benedicendam novam sacram aedem antequam in ea divinus cultus exerceatur. Legite Martene, de antiquis Ecclesiae ritibus. Solus Episcopus novas aedes sacrare potest, quia hoc munus cum sacro Episcopatus ordine conjunctum est. Quilibet vero sa-

cerdos, ex Episcopi jussu, benedicere potest. Ritus adhibendi in consecratione describuntur in Pontificali Romano. Vid. Card. Bona, rerum liturg., lib. 1. Contaminantur Ecclesiae sepeliendo hominem nullo baptismate initiatum, vel in haeresi, aut in anathemate defunctum, impuritate, violenta effusione sanguinis, aut homicidio. Ad pristinam dignitatem redditur Ecclesia statis ritibus, ab Antistite applicandis.

IV. Tractu temporis sacrae domus jacturam faciunt, et aliis fortuitis casibus male materiatae fiunt. Reparabantur olim ex communi ministrorum aerario, cum in triplici, vel quadruplici Ecclesiasticorum reddituum partitione una pars destinaretur in sacris aedibus. Institutis beneficiis, quicumque beneficium possidet, vel pensiones, aut decimas, resarcire debet, cum natura bonorum Ecclesiasticorum stabilis sit, et antiqua onera, quae bonis Ecclesiae haerebant, eadem bona perpetua sequantur. Verum si patrimonium Ecclesiae ita tenue foret, ut vix ex eo haberet unde parce viveret qui Ecclesiam administrat, tunc patroni Ecclesiae, qui eam in suam tutelam receperunt, et ex illa honorem, vel utilitatem capiunt, reficiant opus est. Postremo, si aliunde resarciri nequeat, a Parocciae incolis, quorum utilitate et comoditate Ecclesia exaedificata est, comunibus sumptibus reficienda est, ex Trident. Sess. 21 de reform., Cap. 7. Haec auxilia si absint, consentiente Episcopo, in comunes usus, numquam vero sordidos, vertenda est. Ceterum, curare debet Episcopus, ut Ecclesia non careat necessaria, et munda suppellectili, vasisque sacris, quae ab Episcopis consecrantur. A sacris templis removenda omnis negotiatio, judiciarii rumores, prophanique actus, majestati loci, in quo divinus cultus exercetur, prorsus indigni.

CAPUT III.

DE ASYLO.

I. Asylum, graeca vox, indicat locum sacratum, quo perfugientes abduci nequeunt sine flagitii nota. Graecis et Romanis sua erant asyla, neque hoc jure caruit Æbræa Natio, quae cum in Palestinae possessionem venisset, divino imperio urbes perfugii constituit, in quas tuto se recipiebant, qui alicui, non meditato, sed improvviso, et fortuito casu, mortem attulerat. Nil mirum, si in Christi societate sint instituta asyla. Quarto saeculo plures perfugisse ad sacras aedes observat Jacobus Gothofredus, in lege, *de his qui ad Ecclesias confugiunt*, in codice Theodosiano.

II. Qua in re, ut nullus error obrepat, cum doctissimis viris adverto ipsum naturae jus reverentiam quandam sacris locis inspirare, sicut etiam apud gentiles homines locum habuisse, indubia monumenta testantur. Sane vero, si quod apud omnes homines constat, lex naturae putanda est, etiam de perfugio ad sacrum templum hoc idem dicere debemus. Pertinet igitur asylum ad ipsum naturae jus, quod postea sancti Ecclesiae Patres in eorum orationibus solidarunt, et Ecclesiae leges magis, magisque firmarunt.

III. A priscis enim temporibus Episcopi, qui semper infelicibus, et calamitosis opem tulerant, si qui insontes aliena vi oppressi, vel crimine implicati ad templum confugerent, precibus, ac supplicationibus enixe studebant ut magistratus poenam remitterent, mitigarentque, vel ab innocentibus privatam violentiam arcerent.

IV. Reddita a Constantino magno Ecclesiae pace,

localis immunitas magnis aucta fuit incrementis. Sane Concilium Aurelianense I, canon. 3, et Concilium Toletanum XII. canon. 12. imperarunt, ut cujuscumque criminis illigati, si ad Ecclesiam confugerint, securitatem sibi pararent; postea vero nomine Ecclesiae venerunt templa etiam non consecrata, Cap. Eccl. 9, de immunit. Eccles., et asylum praestabat circuitus triginta passuum circa templum, quod pro majoribus Ecclesiis ad quadraginta extendebatur, *canon. definivit* 35 et XVII. Denique hoc privilegio fruebantur etiam domus Episcoporum, et parochorum, monasteria, conventus, ac in genere omnia loca quae quomodocumque dicta fuerint sacra.

V. Omnibus istis Ecclesiasticae potestatis sanctionibus obsecundantes Imperatores, volentes religionis nostrae majestatem amplificare, de Asylo tulere leges quae locorum sanctitati prospicerent, veriti, ne si violenter abducerentur qui ad loca sacra perfugerent, interdum divina officia perturbarentur, vel tanto loco admitterentur indigna. Hinc regum Francorum capitularia edicunt, confugientes ad Ecclesiam, in poenam, vel mortem abripi inde non posse.

VI. At cum malefcriati homines abuterentur asylo, summo reipublicae damno, et manifesta justitiae laesione, cumque *frustra auxilium legis invocat*, *qui committit in legem*, hinc sapienti consilio occurrerunt Pontifices Innocentius III. in Capitulo 6., de immunitate Ecclesiae, et Gregorius IX, publicosque latrones, nocturnosque agrorum populatores, et qui ex insidiis hominem necassent, vel falsa spe immunitatis in loco sacro peccassent, asylo expoliarunt. Julius vero secundus praedatoribus, et perduellionis reis jus asyli ademit. Gregorius XIV sua sanctione *cum alias*

nonnulli, abrogat privilegia a Pontificibus impartita Regibus in asylorum causa, et decernit expertes esse omnis asyli publicos latrones, viarum grassatores, agrorum pupulatores, perduelles in Principem, et eos, qui meditato mortem intulissent, operam, consiliumque dedissent, vel in loco sacro deliquissent.

VII. Hinc confugientes ad asylum abducendi sunt ex venia Episcopi, ac praesente aliquo ab Episcopo electo, includendi in carcere Episcopi, ut judicet an reus jure asyli dignus, vel indignus sit. Eamdem in rem Clemens XII, Benedictus XIII, et XIV plura statuerunt. Res postea perducta est ad pacta conventa, de quibus videte concordata anno 1741, 1818, et novissimum.

CAPUT IV.

DE SEPULTURIS.

I. Mos fuit Romanorum, et lege duodecim tabularum statutus, corpora, sive eorum cineres urnis inclusos, extra urbis moenia sepelire. Huic legi obedientes fideles, humabant defunctos in cryptis, arenariis, aliisve locis, vel Ecclesiis extra urbem positis, ut probat Muratorius, Anecdodorum, dissertat. 17, quae etiam est inserta tom. 3. Codicis Theodosiani, ad tit. de sepulcris violatis. Religione nostra amplificata, data est venia sepeliendi Imperatores in urbe, et speciatim in Ecclesiae vestibulo, sicut legimus de Constantino Magno, Theodosio, et Arcadio. Ante enim id tempus nec in urbe, nec in Ecclesiis urbis inhumabantur Christiani. Ab hac aetate Christiani cum religiosum ducerent apud martyres, quorum reliquiae in Ecclesiis

condebantur, quiescere, optarunt eorum corpora recondi in Ecclesiis, vel in ipsarum propileis.

II. Sexto saeculo in atrio vel in porticu Ecclesiae Christianum vulgus sepeliebatur; Reges, et proceres, Episcopi, sacerdotes, aliique insignes sanctitate viri intra Ecclesias condebantur. Nono saeculo negotium sepulturae intra, vel extra Ecclesiam remissum judicio Episcopi, vel parochi. Éxoptant tamen canones, ut potius in caemeteriis, quam in sacris aedibus collocentur cadavera; idque etiam monet S. Carolus in Concilio I. Mediolanensi. Quin immo tutius foret ut sacra caemeteria in locis patentibus extra urbem constituerentur, cum incolarum saluti maxime salubre sit, graves, eruditique viri jamdudum adnotarunt.

III. Interest hominis Christiani sepeliri in loco sacro tum ob suffragia, tum ut cognoscatur defunctum participem fuisse Ecclesiasticae communionis. Est autem lex generalis defunctos sepeliendi, agendasque exequias a Parocho. Nostrae aetatis disciplina sinit eligere sepulcrum, atque consepeliri in majorum sepulcris extra paraccias sitis; semper tamen intactis parochorum juribus in exequias, et funebrem pompam, quae ex legibus, ac consuetudine regionis sunt judicanda. Causa exequiarum, et sepulturae quidpiam exigere vetant canones sacris administris. Vid. Thomassinum. Nuspiam tamen prohibent recipere quidquid fideles ob munus sponte elargiuntur.

IV. Cum autem saeculo nono et sequentibus injuria, et calamitate temporum, pleraeque paraeciarum Ecclesiae omnibus redditibus expoliatae forent, illarum administri victitabant ex funeribus; et voluntariae fidelium liberalitates, necessariae quodammodo effectae sunt. Quare in Lateranensi III. proscriptae

sunt omnes exactiones propter sacramentorum administrationes, permissae nihilominus piae consuetudines, easque servandas a fidelibus praeceptum est. Qua in re cavere debent sacri administri omnes sordidos quaestus, asperitatem, et vituperabilem anxietatem exigendi jura; quae et populo gravem molestiam creant, et sacrum munus in despicientiam inducunt.

V. Sacrae leges nolunt in loco sacro sepeliri publicos criminosos, defunctos in manifesto crimine, eos quoque qui baptismate carent, aut sunt ab Ecclesia palam separati. Ceterum ubi quis, cui Ecclesiastica sepultura erat interdicta, in caemeterio fuerit tumulatus, si discerni possit, debet exhumari, et in loco prophano jactari.

CAPUT V.

DE HOSPITALIBUS.

I. Hospitalia sunt aedes ad excipiendos peregrinos, vel alendos pauperes, qui suis laboribus victum sibi comparare non valent, aut pueròs parentibus orbatòs instruendos, infantesque expositos recipiendos, infirmos curandos, necnon egenos senio confectos, sive contagioso morbo infectos, destinatae. Calamitosorum hominum curam semper habuerunt Episcopi; qui ante pacem datam Ecclesiae utebantur Diaconorum opera, et postea regnante Constantino magno pubblica edificia extructa sunt. Ad haec necessaria pietatis officia obeunda, S. Basilius Magnus magnificam domum extra Urbem fabricatus est, et Romae Fabiola, atque Pammachius, aliique in aliis locis, maximeque octavo, et nono saeculo charitas fidelium in occidente cui-

tuit. In peregrinos exercendam esse hospitalitatem jussit etiam Carolus Magnus, cum ea diversoria, quae modo communia sunt, in usu non essent.

II. Decimo saeculo, et deinceps bellis, aliisque calamitatibus, necnon aliena rapacitate plurimae hospitales domus extinctae sunt; quare tabernae inductae, quae essent ex comodo alienigenis. Principes quoque, aliique, injussu Episcopi, ad levandos aegrotos, miserosque, exaedificati sunt aedes, et exorta est divisio hospitalium religiosorum, et prophanorum. Quaecumque enim auctoritate Episcopi sunt constructa, religiosa habentur; illa profana aestimantur quae sine ejus assensu aedificata sunt.

III. Cum Episcopis ratione sui muneris curam egenorum aegrotorumque sit data, etiam harum aedium sollicitudinem, et piorum officiorum defensionem canones jure meritoque illis tribuerunt; hinc illarum aedium administrationem, ac bonorum procurationem, et in ministros auctoritatem. Hoc praescripsit etiam Justinianus, *L. 46. Cod. de Episc. et Cler.*, et confirmarunt capitularia Francorum, quod omnino consonat Canoni octavo Concilii Chalcedonensis.

IV. A saeculo decimo, multa hospitalia a jurisdictione Episcoporum sunt subducta, sive ex fundatorum voluntate, qui illa regiae majestati commendabant, et erigebant, Episcopi non petita venia, sive Principes fundabant, et non erant Episcopo subjecta, sive Pontificiis privilegiis ab Episcoporum auctoritate liberabantur.

V. Viennense Concilium imperat Episcopis, ut pervigilent ne administri Hospitalium muneri suo desint, idque ipsum repetit Trid., Sess. 22. de reform. cap. 8., et 9., datque potestatem Episcopis visitandi

omnes Hospitales domus, exceptis iis, quae sunt sub speciali regia tutela; demum imperat, ut quorumque hospitalium administri rationem referant Antistitibus administrationis suae, ita ut, etiam si aliis esset reddenda, semper Episcopus intersit. Ceterum in his rebus prae oculis habenda sunt etiam, quae per pacta conventa inter utramque potestatem constituta inveniuntur.

VI. Vetus disciplina, firmata Can. 8 Chalcedonensis Concilii, praescribebat ut hospitalibus aedibus praeessent sacri administri ad res sacras ministrandas, et illarum servitio essent addicti; idcirco hujusmodi Praepositurae titulum etiam ordinationis constituebant. Ex hoc fluit generalis regula, scilicet a Parocho distribuenda Sacramenta in hospitalibus, nisi privilegia, vel conventa aliud permittant.

INSTITUTIONUM
JURIS CANONICI

LIBER II.

PARS ALTERA.

DE TERRENIS ECCLESIÆ BONIS.

Nulla societas est, quae sumptus non faciat suorum gubernatorum causa. Etiam sacris administris subsidia paranda sunt, quibus vitam agant, et libero, solutoque animo sua munia exerceant. Ipsemet Christus non caruit loculis, quibus et sibi, et Apostolis providebatur. Etenim bene instituta ratio cuilibet suadet consulendum iis qui propter publicum comodum privatam deserunt utilitatem, et peculiare vitae genus amplectuntur, ut alienam aeternam prosperitatem procurent. Hinc bona quae fuerunt Ecclesiae distributa dupliciter dispescuntur; quaedam enim mobilia sunt, quaedam autem immobilia; de utrisque sermo erit: incipiamus a mobilibus Ecclesiae bonis.

CAPUT I.

DE OBLATIONIBUS, ET DECIMIS.

I. Tribus primis saeculis Christi cultores liberaliter impartiebantur necessaria ad divinum cultum exercendum, et ad sacrorum ministrorum victum; istorumque patrimonium ex hisce largitionibus constabat. Triplex largitionum genus intelligere possumus. Vel enim ad sacram aram deferrebant fideles panem, et vinum, oleum, incensum, aliaque ad sacrificium inservientia, ex quibus alia pars decerpebatur ad alendum clerum, et pauperes, si ab usu sacrificii supererat: videte Cyprianum. Deinde elæemosinas statutis diebus ad Episcopi domum, vel ad comunem aerarium apportabant fideles, in Ecclesiae et cleri comodum, quantas lubebat; hujus moris meminit Tertullianus, Apologetico, capite trigesimonono, et Africani Patres quarti Concili Chartaginensis, aliique. Tertium oblationum genus comprehendit quidquid fideles elargiebantur in suscipiendis Sacramentis, in dedicationibus Ecclesiarum, vel dum similia sacra officia obibant. Ecclesiae ministris munera ad altare illi solum ferebant qui erant participes Eucharistiae, generatimque offerendi jure carebant peccatores, et publicae poenitentiae subjecti. Ex voluntariis fidelium oblationibus ad sacram aram originem ducunt hodierna stipendia missarum. Nam earum loco nono saeculo extra sacrificium attributa, sicuti decimo saeculo ceterae oblationes in consuetudinem abierunt, idem evenit stipendio. Pii, laudabilesque mores, remoti a qualibet avaritiae suspicione, non improbati sunt a Patribus. Omnes oblationes spectant ad Ecclesiam paraeciae, etiam

si afferantur Sacellis, nisi aliud offerentium voluntas vel declaret, vel statutum fuerit.

II. Decimarum morem a Judaeis desumpsere Christiani, suisque hortationibus providere Patres, ut ad divinum cultum, sacrosque ministros alendos, oblationibus imminutis, Christiani omnes decimas solverent. Sponte reipsa eas solverunt fideles usque ad sextum saeculum, quo currente lata est lex a Matisconensi Concilio, anno 585, et anathematis poena dicta in violatores. Latius crevit decimarum usus octavo, et nono saeculo, suaque etiam auctoritate firmarunt Carolus Magnus, Ludovicus Pius, aliique, ut stabilius prospicerent victui ministrorum Ecclesiae, qui gravia perpessi erant sub Carolo Martello. Consuetudo decimarum totum occidentem occupavit, cum in oriente, post legem Justiniani 39., Cod. de Episc., desierit.

III. Triplex decimarum genus distinguunt Juris Consulti; ex praediis primae desumuntur, et praediorum nomine indicantur agri, locatae domus, latus piscinae, praedia omnia, sive haec fuerint urbana, sive rustica. Aliud genus manat ex industria hominum, veluti negotiatione, artificio, militia, servitio, venatu, et similibus. Ultimum genus constituunt mixtae, quia personalium, et praedialium naturam sapiunt. Tales putantur, quae penduntur ex peculo, artulana, casaco, et aliis. Decimae exsolvendae sunt Parocho, quia ex partitione patrimonii sacri decimae sunt assignatae Parochis, tamquam pars annui reditus, cap. 29 et seqq.; quare decimae praediales sunt afferendae illi Paroeciae intra cujus fines posita sunt praedia; personales autem tribuendae Parocho a quo percipiuntur Sacramenta, cap. 20 de decimis. Mixtae demum rependendae secundum praedialium normam.

IV. Innocentius III. in cap. 26, et 28, advertens omnibus pendi reales decimas, non detractis impendiis, praescribit in praedialibus decimis solvendis non esse supputandos sumptus, quos in aestimandis decimis ex industria profectis subducendos esse statuit.

V. Extat alia divisio decimarum in saeculares, et Ecclesiasticas; primi generis sunt illae quae tamquam tributa, et vectigalia exsolvuntur principi, vel dominis, eaeque petuntur ex fructibus agri, fodinarum, aliisque et sunt omnino civiles, et jure regiae majestatis debentur. De his pacisci licet, aut dono impartiri possunt a dominis et principibus. Ecclesiasticae vero sunt, quas percipit Ecclesia, vel ab ipsa profectae sunt ad laicos, idque pluribus modis evenit.

VI. Nam Episcopi ad tuenda sua jura et bona, potentes viros eligebant in sui defensores, ac patronos, quibus decimas clargiebantur. Praeterea Antistites feudis ornati, et militaribus subsidiis in principes obstricti, cum ad exercitum copias mitterent, illarum ducibus stipendii causa decimas tribuebant. Nec illud dissimulandum, a divitibus Cappellas erectas fuisse in suis ruribus, easque veluti Ecclesias Parochiales habitas fuisse a dominis, et hinc decimas exactas. In magnis bellorum tumultibus, regnorumque dissidiis, cupidi homines violenter sibi arrogantes bona Ecclesiae, etiam decimas usurparunt. His aliisque de causis laici in decimarum possessionem venerunt, a qua Antistites illos removere studentes, plurimas concertationes sustituerant.

VII. Alexander III., in Concilio Lateranensi III., anno 1179, cavit, ne laici decimarum jus, quo utebantur sine assensu Episcopi, attribuere possent cuilibet laico, neve clericos vel presbyteros in Ecclesiis abs-

que venia Praesulis instituere, alias recipientes, nec decimas Ecclesiae restituentes sint a sepultura interdicti. Observat Thomassinus, *pag. 3. Lib. 1. cap. 11.*, Alexandrum non recessisse a majorum decretis, cum doceat laicos detinere decimas cum animi pernicie. Verum Innocentius III. permisit laicis decimas, quas antiquitus possidebant, modo Ecclesiae solita servitia exhibeant. Hoc pacto interpretes juris putant decimas, quibus ante Lateranense III. sub Alexandro III. laici potiebantur, jure possideri, etsi nihil tale decreverit Alexander III.; in hanc sententiam iverunt auctores, quod nulla poena sancita sit in eos qui jure decimas retinebant. Firmata vero est opinio, ex quo Alexander IV. in cap. 3., *de decimis*, *in sexto* sinit laicos frui decimis, quas percipiebant ante Lateranense III.

VIII. Decimae ab omnibus Christianis solvendae sunt propter animarum curam, quam sacri ministri exercent. Quapropter ad Parochos causa sui officii spectant. Multiplici ex capite decimas adepti sunt monachi. Principio illis Episcopi largiti sunt ut eorum victui consulerent: dein ex privilegiis Pontificiis undecimo saeculo sibi pararunt; ac denique copiosiorem segetem collegerunt ex iis laicis, qui maluerunt decimas conferre monachis, quam Episcopis restituere. In illis disciplinae constitutionibus statutum est proinde, ne id auderent laici, quin prius ab Episcopo facultatem obtinuissent, ex Innocentio III. Denique consuetudo, praescriptio, donatio, conventio, jus decimarum praestare possunt.

IX. A decimis persolvendis eximi quis potest praescriptione, legitimo titulo firmata, secundo pactis, et conventionibus, tertio si liberaliter decimae remittan-

tur, postremo per privilegia. Saeculis undecimo et duodecimo innumera prope privilegia impetrata sunt, quibus modum praestituerunt Adrianus IV. Alexander III, et Innocentius III, qui litigiis Cisterciensium et Episcoporum finem adhibere volens, praecepit, bona, quae post Lateranensis IV. sanctionem essent a Cisterciensibus comparata, sive suis sumptibus excolerent, sive aliis locarent, a solvendis decimis forent obnoxia.

X. Eodem jure obstringuntur regulares qui rependere debent decimas non solum de bonis quae post Lateranense quartum consequuti sunt, verum etiam ob ea praedia, quae ante Lateranensem legem possidebant, nisi iisdem fruerentur privilegiis, quibus Cistercienses gaudebant. Omnes tamen Regulares immunes sunt a decimis novalium, quae suis sumptibus colunt, hortorum, et pascuorum, quae sunt in eorum usu destinata; generaliter autem exempti a decimis non sunt immunes a solvendis decimis novalium, nisi fuerit expressum in privilegio.

XI. Quaestio est, num decimae Christianis praescriptae, sint de jure divino, vel Ecclesiastico, in quo distinguendum puto, duce S. Thoma, *secunda secundae quest. 87. art. 1.*, vel ex solis decimis Parochus aliusque minister vivere cogitur, et illas a jure divino praescriptas puto: aut aliunde provisum est, et decimas Ecclesiastico jure imperari existimo. Ex hoc principio explanatur altera auctorum certatio, in eo sita, num laici praescribere possint contra decimas, et an consuetudo eundem effectum parere possit. Denique advertite cum S. Thoma *secunda secundæ quaes. 86. art. 3.*, distinguendum esse jus percipiendi decimas ab usu decimarum; jus capiendi decimas cum sa-

cro officio Parochi et administrationis esse conjuctum, nec hujus juris laicos participes fieri posse. Ast usus decimarum cum sint res terrenae, in ipsos laicos sat comode cadere potest. Litigia decimarum in petitorio ad Ecclesiasticum referri debent, in possessorio etiam ad laicum judicem ex Pontificio jure.

CAPUT II.

DE BONIS IMMOBILIBUS ECCLESIAE.

I. Tribus primis saeculis necessaria subsidia sacris administris parabantur ex voluntariis rerum mobilium largitionibus: et si praedia dabantur, ea, instante Romanorum gentilium Imperatorum persecutione, vendebantur. Hanc rationem tenuere veteres, ut Apostolos imitarentur, et ne incitarent gentes ad odium nostrae religionis, quia a praediis possidendis, unusquisque prohibebatur legibus Imperatorum, qui collegiis et societatibus haereditates relinquere non permittebant, nisi Imperatoris rescripto ipsae fuissent confirmatae. Tamen post Valeriani captivitatem quaedam possidere coeperunt, ipsismet Imperatoribus conniventibus, ac interdum imperantibus, uti in causa Pauli Samosateni a sede Antiochena pulsi, de aede Episcopi quam Paulus retinebat, judicavit Aurelianus. Maximinus Imp. disjectas, ablatasque possessiones fidelium restitui jubet, lato edicto anno 311. Verum haec venia potius ex quadam humanitate Imperatorum, quam publica sanctione manabat.

II. Hanc potestatem, quam omni divino, humanoque jure Christianis competebat, Constantinus magnus sua etiam auctoritate Ecclesiae roboravit, constituens

anno 312 ut ablata bona redderentur, vel collecto ex illis praetio tribueretur, ex rescripto anni 313.

III. Deinde anno 321 ipsemet Imperator legem condidit, per quam adeundi haereditates, et legata capiendi idonea (in facto, quia de jure, sicut superius dixi, non dubitatur) declarata est Christi Ecclesia. Per hanc multiplicem legem Constantinus removit injusta impedimenta, quibus societas Christi a possidendo stabilia bona detinebatur. Cum enim ex legibus Romanis data esset collegiis approbatis possidendi potestas, cumque nostra Religio divina sit, suapte natura erat probatissima, nec Imperatoriis sanctionibus ulla ei afferebatur firmitas, quam necessario consequi debebant reliquae humanae sodalitates, ut stabiles forent. Verum Imperatores Romani anteriores Constantino, ignorantes Christi divinitatem, multa in ejus societatem edixerant, quae etsi essent per se irrita, et inania, tamen nullo in praetio habenda esse per publicam auctoritatem declarandum erat, tantumque beneficium per allatas leges attulit nostrae religioni Constantinus.

IV. Arcadius et Honorius adhaerentes Constantino adjudicarunt Ecclesiae illa bona, quae haereticorum conventibus fuerant attributa. Theodosius Junior, Clerici vel Monachi ab intestato, et sine haeredibus patrimonium ad Ecclesiam sibi spectantem pertinere, vel ad ipsum Monasterium spectare imperavit. In Romano Imperio Constantini lex custodita fuit, et Regna exorta ex ruinis Imperii Romani parem facultatem dederunt. Publica enim auctoritate Imperio et Regno inducta religione nostra, eodem jure illam tueri, et conservari oportuit.

V. Auctae sunt Ecclesiae opes ex testamentis et donationibus fidelium, quae non tantum ad Ecclesiam per-

tinebant, quin potius ad civilis societatis bonum; per ipsa enim et pauperes eorum inopiae subveniebant, et ad pios bonosque usus impendebatur, quod postea luxui, aliisque finibus donatum fuit. Sed malo Ecclesiae et Reipublicae fato per universam poene Europam, principia futilis, et perniciosae Philosophiae praevaluerunt, ex quibus leges, ita dictae, amortizazionis emanarunt. Hoc fonte derivata clades in patriam, populumque fluxit.

VI. Sed apud nostrates hujusmodi leges per novissima pacta Conventa inter Pium VII., Pontificem, et Ferdinandum I., anno 1818 abrogatae fuerunt, et articulo 15 constitutum fuit, Ecclesiam in novis rebus acquirendis liberam omnino futuram.

CAPUT III.

DE RERUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE.

I. Retuli varia Ecclesiarum bona, quorum proprietas spectat particulares Ecclesias ex Christi fidelibus, et pastore constantes; nulla enim societas est, quae non habeat sua peculiaria bona, et non sit ad res donatas, vel relictas acquirendas idonea, quarum administratio, cum sit Ecclesiae patrimonium, ad sacros ministros pertinet. Apostoli primum per se, tum eligentes Diaconos auxiliatores, procurarunt Ecclesiae Patrimonium. Episcopi ad hanc regulam se conformantes ministrarunt Ecclesiae opes, quae in comune aerarium conferebantur, ex quo Episcopo, Sacerdotibus, Diaconis, ceterisque ministris, et pauperibus necessaria vitae parabantur, divinoque cultui prospiciebatur. Ad avertendam autem malae administratio-

nis suspicionem, Concilium Presbyterorum adjunctum fuit, et quinto saeculo in Concilio Chalcedonensi, canone 26., cautum, ut rei terrenae gubernatio traderetur Ecclesiastico OEconomo, qui de rebus ad Ecclesiam pertinentibus curam haberet.

II. Quadripartita divisio reddituum inducta est post dimidium quintum saeculum, eaque profecta videtur a Romana Ecclesia, et in caeteras occidentis propagata, cum illam oriens non agnoverit, aut saltem ulla lege firmaverit. Hanc primus memorat Simplicius Pontifex in Epist. 3. ad Severum Episcopum, ipsam Lucaniae praesulibus praecipit Gelasius in Canone 27. Per hanc disciplinam Episcopus qui patrimonio Ecclesiastico praeerat, sic illud distribuebat. Una pars cedebat in Episcopi comodum, altera dabatur sacris ministris, et comparative dividebatur secundum gradus et merita, tertia juvabatur egenis, quarta in templis reparandis, et ad divina officia obeunda, necnon ad pernecessaria aquirenda insumebatur. Videte Thomassinum.

III. Desiit pedetentim haec distributio, et primo Presbyteris concessae sunt oblationes delatae ad suas Ecclesias, quibus serviebant, in ruribus ac oppidis praesertim positis; quod intelligitur ex Concilio Aurelianensi anni 511.; Can. 18, decimae, quae septimo et octavo saeculo undique solvebantur, postea attributae Parochis, eoque pacto evenit, ut fructus ex oblationibus, et decimis manantes, qui ad comune aerarium afferebantur, alligati sint atque adjuncti ratis Ecclesiis, et qui ad eas regendas seligebantur, jure suo in necessarios usus verterant, et possiderent veluti nostrae aetatis beneficium. A decimis et oblationibus ad ipsos fundos distrahendos ventum est, non tamen eodem tem-

pore, vel ullo Ecclesiae decreto. Synodus Chartaginensis, anno 491, prohibet, ne Presbyteri vendant praedia Ecclesiarum, in quibus erant constituti, indeque conjicitur hisce presbyterorum titulis aliquos fundos fuisse conjunctos.

IV. Initio sexti saeculi aliqua praedia non magni praetii impartita fuere clericis benemeritis ad usumfructum ex Aghatensi Concilio, Aurelianensi anni 511, et Romano sub Symaco; perspicuum exinde est quod ex liberalitate Episcopi conferebantur haec praedia Clericis, iisque defunctis comuni patrimonio accensebantur instar feudorum, quae Reges ad vitam largiebantur militibus, aliisque civibus. Eadem Episcoporum munificentia peperit fundorum aliqualem divisionem, eademque liberalitas in diem crescens effecit, ut singulis Ecclesiis, seu titulis Dioccesis aliqui fundi stabiliter adnecterentur, et qui Ecclesiae praeficiebatur, ipse fructus praedii perciperet.

V. Octo primis saeculis maxima Cleri pars caruit peculiari beneficio, et juxta veterem morem, consuetis distributionibus, tum pecuniae, tum alimentorum sustentabatur. Saeculo octavo, Clerus Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum comunem vitam amplexus est, ut jam explicui. Ad hoc vitae genus, quo facilius incitarentur, decimo saeculo, et undecimo, cum ab illo plurimi recessissent, nitentibus Romanis Pontificibus, speciatim Nicolao II, et Alexandro II., commune patrimonium separatum est in duas partes, et una adjudicata Episcopo, altera capitulis, designatis agris, decimis, aliisque Ecclesiasticis redditibus, unde comunem vitam agere possent.

VI. Saeculo decimosecundo, Canonici ad ingenium rediere, et facultates ad totam comunitatem spectan-

tes singillatim partiti sunt, omniaque capitulorum officia, uti Praepositi, Decani, Cantores, Primicerii, et cetera, naturam beneficii induerunt, constitueruntque dignitates, et canonicatus hodiernos. Post Alexandri III. aetatem universaliter Ecclesiae bona distributa sunt, et beneficia instituta.

VII. Denique ne quidquam silentio praeteream, Monachi post annum 1000 pressere vestigia Canonicorum. Sejunxerunt primo patrimonii partem pro Abbatibus, partem ad Monachorum usus destinarunt, istamque administrabant, quin ullam Abbatibus redderent rationem. De hoc agit Innocentius III. in Capitulo 21 de rescriptis. Eadem ratione Monachi officia claustri, obedientias, cellas, *grancias* dictas, quibus praeerant ad nutum Monasterii, sibi perpetuo tradi curarunt, etiam privilegia Pontificia praetexentes.

VIII. Tanto malo occurrit Innocentius III., et Lateranense quartum; sed illud eradicare penitus non potuerunt, in Anglia praesertim, et in Germania, in quibus locis; Patrimonio Monasterii diviso, emerserunt tres, vel quatuor beneficiorum species.

IX. Prima continet dignitates, Abbatiam nempe, et Prioratus claustrales, secunda Prioratus, et Praepositūras non claustrales, tertia claustri officia, hospitalarii, sacristae, et alia; demum singulorum Monachorum. Praebendae verum redditibus Monasterii erectis in beneficium, facile fuit ut ex eorum manibus elaberentur, et ad clerum saeculi, cui magis conveniunt perpetuitas, et possessio propriorum reddituum pervenirent; ex quibus emerserunt Monasteria commendata, et commendae. Sed de his cum de beneficiis, in capite sequenti sermo erit. Vide interim Thomassinum, *Lib.*

s, *Part. 3*, qui rite, appositeque monet, naturam bonorum Ecclesiae minime variatam esse per novam disciplinam, et sicuti Patres docent, dempto honesto victu, si aliunde presto non sit, quo vivant clerici, in juvandis egenis, divinique cultus praeparatione, aliisque piis officiis hujusmodi bona esse consumenda; eadem quoque lege modo obstringit quotquot Patrimonio Sacro potiuntur.

CAPUT IV.

DE MULTIPLICI BENEFICIORUM GENERE.

I. Beneficium describitur: *jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter exercitationem officii sacri, quod ex praescripto Canonum, et sua institutione, cum beneficio conjunctum est.*

II. Beneficia alia sunt *majora*, alia *minora*. Majora sunt quibus, praeter animarum curam, et jurisdictionem, amplissima dignitas haeret, uti Episcopi, aliique Hierarchae usque ad Pontificem. Hisce adjungi possunt Abbatiae quae jurisdictionem in suos similem prope Episcopali afferunt. Minora beneficia censentur caetera inferiora Episcopi dignitate, eaque distinguuntur *in simplicia*, *et duplicia*; haec jurisdictionem aut honorem, vel animarum curam attribuunt. Simplicia habentur, quae solum officium spirituale adnexum habent sine jurisdictione, et animarum gubernatione, uti *Canonicatus*, *Capellaniae*, aliaque id genus.

III. Iterum beneficia distinguuntur in *regularia*, et *saecularia*, regularia ea vocantur quae a regularibus regi debent, id exposcente eorum natura, et fundatione, cum munera adnexa spectent monachorum di-

sciplinam, eoque fine sint a fundatoribus constituta. Saecularia sunt quae ex natura officiorum exercendorum, et fundatione ab Ecclesiasticis saecularibus sunt administranda. Praescriptio 40 annorum mutat horum beneficiorum naturam, ita ut ex Regularibus se in saecularia varientur, *ex Capitulo 5. de Praebendis in IV.* In dubitationem si vocetur natura beneficii, censetur saeculare; id praesertim locum habet in beneficiis extra Monasteria erectis. Quare juris regula est: Regularia beneficia regularibus danda, saecularia saecularibus; et regulares sine Pontificis auctoritate beneficia saecularia consequi nequeunt.

IV. Sunt beneficia *electiva* dicta quae per suffragia Cleri, vel Monachorum, conferuntur; beneficia *collativa* quae ab Episcopo, vel alio Praelato conceduntur. *Patronata*, quorum praesentatio et nominatio ad Patronum beneficii, institutio ad ordinarios, pertinet. Interpretes Canonum in enumerandis beneficiis memorant beneficia *commendata*, quorum originem breviter expono. Olim orbata suo Pastore Ecclesia, si propter bella, aliamque causam ad eam regendam Pastor eligi non poterat, alteri Episcopo, et saepe finitimo vacuae sedis administratio commendabatur, donec Pastor esset suffectus; idem accidebat Monasteriis defuncto Abbate, aut si lapsa esset disciplina, deligebatur Episcopus, vel alius qui diligenter et sancte omnia procuraret. A Patribus haec utiliter statuta fuerant; malitia hominum, atque cupiditas, tam salutarem disciplinam pervertit. Nam plures calamitosis temporibus a commendatis Ecclesiis vel Monasteriis recedere nolentes impediebant electionem Episcopi, vel Abbatis; taliaque ac tanta causa ii sunt, ut Ecclesiae praedia, vel Monasterii com-

mendatariis fuerint per unam partem attributa: altera vero assignata Monachis, aut illi qui ad Ecclesiae administrationem praeficiebatur. Ex hoc fonte fluxit illa distinctio beneficii, quod possidetur *in titulum*, *vel commendam.*

V. Ad beneficium constituendum plura concurrant oportet. Quicumque in Ministrorum numero referuntur, hi certae Ecclesiae alligari debent, cui perpetuo deserviant, et hujus servitii causa jus consequuntur ad Ecclesiae bona. Quapropter perpetua esse debent beneficia. Quoniam vero nemo ullum sacrum officium implere potest, nisi ad illud obeundum eligatur ab Episcopo, et cuilibet beneficio adhaereat sacrum officium, ideo omnia beneficia auctoritate sacra sunt instituenda. Denique uti donatio tunc firma est, cum ab utraque parte probatur, ita necesse est, ut bona, quae tradit Ecclesiae ille qui fundat beneficium, Episcopus accipiat; per hoc enim quod Episcopus ab instituente bona accipit, beneficiorum dominatio, atque bonorum transfertur in Ecclesiam, ideoque omnia beneficia a sacra auctoritate firmentur oportet.

VI. Ex his fluit tritum illud: beneficia propter officia; et in hoc nova disciplina non differt a veteri. In veteri quidem disciplina magis clare et distincte mens atque consilium Ecclesiae apparebat, cum beneficiorum attributio non esset sejuncta ab ordinibus; et horum ordinum, iisque adnexorum officiorum causa jus assequerentur in Ecclesiae patrimonium, qui in Clerum recensebantur. Decimo saeculo plures sunt adscripti Clero, quam Ecclesiae patrimonium patiebatur, istisque solum inerat exercendi ordinis potestas, qui nullum Ecclesiae redditum perciperent. Hoc modo Ordinationis et attributionis beneficii inducta distinctio.

CAPUT V.

DE BENEFICIORUM DISTRIBUTORIBUS.

I. Episcopi, Apostolorum successores, ad regendum populum a Spiritu Sancto positi, sacrorum ordinum dispensatores, et Sacri Patrimonii perpetua administratores cum sint, jure omnium suae Dioecesis beneficiorum distributores nuncupantur. Plene hoc jure potiti sunt per multum temporis spatium, et nativa potestate utentes, omnia cujuscumque generis beneficia contulerunt. Quamdiu enim attributio ordinum non fuit segregata a beneficii collatione, beneficiorum impartitio esse ordinis Episcopalis videbatur, non jurisdictionis aestimabatur. Distincta ordinum collatione a collatione beneficii, beneficiorum tributio relata est ad Episcopi voluntariam jurisdictionem, quae pluribus modis in alios quam Episcopos transferri potest, indeque exorti sunt beneficiorum collatores ab Episcopo distincti. Immo, quamvis Monachi quinto saeculo potirentur libertate eligendi Abbates, eorum tamen nullus sacrum munus exercebat, quin prius electio ab Episcopo approbaretur. Hodie in antiquae generalis potestatis declarationem servatum est Episcopis jus examinandi eos qui ab aliis, sive jure patronatus, sive alio ex capite beneficium accipiunt, item curam animarum committendi, aut istos Ministros instituendi.

II. Per easdem causas quae ad Monachos et Canonicos transtulerunt decimas, aliave sacra jura, etiam plura beneficia, et praesertim Paroeciae fuerunt traductae. Monasteriis ac Capitulis attributis Paroeciis, aliisque beneficiis, etiam collata iisdem auctoritas ipsas Paroecias distribuendi. Collatio vero beneficiorum

distinguitur in *liberam*, et *non liberam*; prima est cum collator non adigitur ad impertiendum beneficium alicui ratae personae, secunda est cum collator alicui determinato homini dare debet beneficium ob alienum jus, veluti praesentationis, nominationis etc. Collatio libera, acceptata etiam ante adeptam possessionem beneficii, affert jus in rem, et ideo dat titulum beneficii; hinc Laici, etsi possint consequi jus praesentationis, nominationis etc., collationem liberam nunquam assequuntur, cum titulum beneficii conferre nequeant, eaque de causa laicorum praesentationes, et nominationes solum jus ad rem apportant, nempe jus, quo constringitur Episcopus ad collationem, nisi obsit aliquod Canonum impedimentum.

III. Statutum est tempus intra quod beneficia sunt conferenda, ne diuturna dilatio sit Ecclesiae perniciosa. Sex menses sunt constituti dignitatibus Capitulorum, Paraeciis, minoribusque beneficiis; tres Episcopatibus et Abbatiis. Tempus definitum supputatur a die cognitae vacationis, et justo impedimento interjecto, praescriptum tempus non elabitur. Ex decretalibus, beneficia intra spatium non collata, si erant attribuenda ab Episcopo, potest impartiri Capitulum pro ea vice, parique modo, si negligat Capitulum, Episcopus dispensabit, si Capitulum, et Episcopus negligent, Metropolita supplet, et ita usque ad Pontificem.

IV. Quod spectat ad aetatem praescriptam iis qui beneficia percipiunt, quousque ab ordine separata non fuerunt beneficia, ipsa aetas necessaria ad suscipiendum ordinem, erat quoque ad beneficium capiendum. Invecta decimoprimo saeculo separatione, inducta quoque fuit corruptela conferendi beneficia iis qui nec

aetatem obeundi munia beneficiorum; nec suscipiendi ordinem attigerant;haec perniciosa consuetudo pluribus decretis damnata est; et annus 3o. stabilitus Episcopis in IV. Concilio Lateranensi; 25. annus inchoatus ad curam animarum ex Trident. Sess. 24. Cap. 12, quod etiam vigesimumsecundum annum expletum praefinivit dignitatibus, et personatibus, animarum cura expertibus. Tridentini Patres Sess. 24 Cap. 12. sanciverunt quoque Canonicatibus Cathedralis Ecclesiae adjungendos esse ordines Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi, et ad eos ordines adnexos infra annum promovendos; hinc liquet necessaria aetas requisita Canonicis Ecclesiae Cathedralis; quoniam de Collegiatarum Canonicatibus nihil statuant Tridentini, ad hacc beneficia illa aetas requiritur, quae est stabilita pro beneficiis simplicibus, nempe decimumquartum annum, ex Sess. 23 Cap. 3, in quo cautum nullum tonsura initiatum, vel etiam in minoribus ordinibus constitutum ante quartum decimum annum posse beneficium obtinere. Illud non praetereundum, generaliter a Patribus et Canonibus fuisse decretum, ea in aetate beneficia percipienda, qua munera illis adhaerentia impleri possit; eademque de causa, si ad officia obeunda necessarius sit aliquis sacer ordo, ille procul dubio recipiendus est.

CAPUT VI.

DE COLLATIONIBUS ROMANI PONTIFICIS.

I. Quamvis Episcopus sit omnium beneficiorum suae Dioecesis ordinarius collator, attamen potiori jure, ex praerogativa primatus, quo Summus Pontifex in universam Ecclesiam obtinet jurisdictionem, hic potest collationem quorumdam beneficiorum sibi reservare. Quod quidem rarius factum fuit ante annum Christi millesimum; sed posterioribus saeculis, praevalente in plurimis regionibus Christiani orbis simonia, ambitione, avaritia, optimum duxerunt Pontifices, reservationes multiplicare, quo facilius digniores praeferrentur. Hinc optimo jure Clemens IV. anno 1265 beneficiorum collationem sibi vindicavit, tamquam rem debitam ob Pontificiam dignitatem, Ecclesiae utilitatem, et inveteratam consuetudinem.

II. Modus caeteris antiquior quo Romani Pontifices de beneficiis decernere coeperunt sunt mandata Apostolica, quibus imperabant Episcopis, aliisque distributoribus beneficiorum, ut alicui vacans beneficium conferret, vel cum vacuum fieret, elargiretur; hinc dicta sunt haec rescripta *mandata de providendo* ad vacans beneficium, vel cum *expectativa.* Iisdem mandatis usus est Hadrianus IV., Pontifex creatus anno 1154. Acerrimum bellum hisce mandatis indictum est decimotertio, et quartodecimo saeculo ab Anglis, caeterisque nationibus.

III. Sed, praeter mandata, Pontifices alia sibi beneficia reservarunt. Generaliter Clemens IV. sibi vindicavit beneficia vacantia in Romana Curia, capite secundo de *Praebendis* in sexto: hujus generis sunt beneficia

quae vacabant ob mortem ejus qui in loco, ubi consistebat Romana Curia, defunctus esset.

IV. Bonifacius VIII vacationem in Curia produxit ad eos, qui morerentur accedendo, vel recedendo a Curia, in locis non disjunctis a Curia ultra quadraginta milliaria. Eodem in numero refert beneficia curialium obeuntium in regionibus vicinis Curiae, modo in eis domicilium non constituissent, vel obirent in itinere comitantes Curiam, aut infirmi stetissent in loco, a quo discessit Curia, et recubuissent, *ex capitulo trigesimoquarto de Praebendis, in sexto.*

V. Permittit Episcopis haec beneficia conferre si Pontifex intra mensem non distribuisset, ut in Capitulo 3. eodem; sicut etiam Parochias, dum sedes Romana vacat, vel Pontifex ante obitum non contulisset; capitulo 35. eodem. Clemens V. in clementina *in plerisque, de electione*, adjudicat Pontifici Episcopatus *in partibus infidelium*, clero, populoque expertes, et per constitutionem, *etsi in temporalium*, inter extravagantes comunes, confirmat sanctionem Bonifacii VIII. Joannes XXII. *in extravaganti, ex debito, de electione inter comunes*, accersit Romanae Sedi omnes Cathedrales, monasteria, et regulares Ecclesias, caeteraque beneficia vacantia in curia, quae morte, depositione, privatione, cessione beneficii, electione et postulatione rejectis, translatione, collatione, suspensione, consecratione, benedictione vacarent. Eadem ratione sua facit beneficia Cardinalium, legatorum, officialium Romanae Curiae, Cappelanorum, Comensalium Pontificis, quocumque in loco decederent. Per extravagantem, *execrabilis, de praebendis inter comunes*, sibi adscivit beneficia consecuta, priore non dimisso, quia haec incompatibilia dicuntur. Benedictus

XII. reservationes Joannes XXII confirmat extravaganti *ad regimen*; uterque declarat hasce reservationes ad suae vitae tempus duraturas esse.

VI. Id quod ad tempus statuerant Joannes XXII. et Benedictus XII. perpetuitatem assecutum esse per regulas Cancellariae, quae in morte singulorum Pontificum desinunt, eoque tempore si vacent, beneficia conferri possunt ab Episcopis; altera tamen die, ex qua quis creatus est Pontifex, easdem confirmat, et comprobat. Attribuunt Pontifici regulae cancellariae omnia beneficia quae sibi ad vitam servaverant Joannes XXII, et Benedictus XII.; addit prima regula beneficia omnium Curialium, etsi huic officio cesserint ante mortem, tum beneficia collata contra Tridentini statutum; secunda omnes Episcopales sedes et Monasteria virorum ditiora 200 florenis aureis, et illa quae vacant sede Episcopi, vel alterius collatoris vacante, modo ab ipso solo esset conferenda; tertia beneficia dimissa in fraudem reservationis, et illa quae dimittuntur ob aliud incompatibile consecutum, et ipsa quoque incompatibilia obtenta per Pontificiam veniam; quarta majores dignitates in Cathedralibus, et collegiatis fructuosiores decem florenis, Prioratus, Praeposituras, dignitates regulares, et praeceptorias generales ordinum, exceptis militaribus; beneficia familiarium Papae, et beneficia obtenta ab eis qui serviunt Cardinalibus; quinta beneficia collectorum et subcollectorum Camerae Apostolicae impetrata tempore quo serviunt; sexta beneficia Curialium obeuntium dum Curia transfertur; septima beneficia cubiculariorum, etiam honoris, et cursorum Pontificiorum.

VII. Octava regula beneficia Ecclesiarum S. Petri, S. Joannis, S. Mariae Majoris, ac titulorum Cardina-

lium, ipsis absentibus. Nona complectitur omnia beneficia non reservata, et vacantia in octo mensibus, scilicet Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri, Novembri; Episcopis residentibus conceditur alternatio mensium, demptis beneficiis reservatis; immo si Pontificem praevenerit mors, nec potuerit reservata Beneficia largiri, servantur Pontifici qui sufficitur. Ad extremum beneficia subjecta generalibus reservationibus, et quae ordinarius collator impartiri neglexerit, dum vacabat sedes Pontificia, reservantur.

VIII. Ætate Bonifacii VIII. perspicuum est consuevisse Pontifices suis rescriptis antevertere ordinarios beneficiorum distributores, et ex rescripti norma beneficium adhuc vacans tribuendum erat. Ad cavendam vero fraudem cupidorum hominum, qui per ementitas mortes fallebant Pontifices, constituta est regula *de verisimili notitia*, quae irritam declarat beneficii attributionem, nisi a die mortis ejus qui fruebatur beneficio, tantum spatii interfuerit quantum probabile est nuntium mortis allatum fuisse Pontifici. De his videte Rigantium.

IX. Per dirum schisma, quod post mortem Gregorii XI. erupit, succreverant mandata, expectativae, praeventiones, ac reservationes Pontificiae, de quibus diu multumque actum est in Concilio Constantiensi; sed in Basileensi Concilio anni 1431 ablati sunt omnes illi extraordinarii modi conferendi beneficia, quos adhibebant Pontifices, iique solum permissi qui erant in corpore juris, aut attingebant beneficia sita in Romana ditione.

X. Verum, cum auctoritas Concilii Basileensis nullius esset momenti, Federicus III. Imperator et Ger-

maniae Proceres feriere cum Nicolao V. pacta, quibus beneficiorum Pontificias distributiones suae nationis intra angustos fines unanimiter contraxerunt. Basileensia decreta Sess. 12. et 23. adversus reservationes Pontificias approbarunt Gallicani Praesules, et Proceres in Bituricensi concilio, quod celebrem pragmaticam edidit, quam uti legem regni habendam sancivit Carolus VII., aliique Galliarum Reges. Ad hanc antiquandam omnem operam intenderunt Eugenius IV. consequentesque Pontifices, quibus res ex animo non successit; tandem Leo X., Bononiae abrogata pragmatica sanctione, pepigit cum Francisco I. Concordatum, istisque conventis universa beneficiorum materies administratur in Galliis. Videte Thomassinum part. 2.

XI. Tridentini Patres, Sess. 24. de Reform. cap. 19., sustulerunt *mandata de providendo*, et expectativas, atque *reservationes* inductas a Julio II. et Leone X., *mentales* dictas, per quas beneficium vacans sibi servarent, nulla singulari persona cui conferretur, indicata. Reservationibus hactenus expositis accessio facta est per S. Pium V., nempe beneficiorum vacantium ob haeresim, vel eorum, quae non collata fuerunt ad Tridentini regulas, vel recepta in confidentiam per Gregorium XIII., vacantia per resignationem conditionatam per Sixtum V., et per Benedictum XIII. vacantia ob non delatam tonsuram, et vestem cleri. Ex hucusque dictis perspicuum est, apud aliquas nationes modum praestitutum fuisse reservationibus per conventionem cum Romana Sede, sicut etiam apud nostrates evenit.

CAPUT VII.

DE JURE PATRONATUS.

I. Prisca disciplina ferebat si quis Ecclesiam fundasset, ut honoris causa interdum fundatoris nomenclatura imponeretur Ecclesiae, et ipsius nomen inter preces recitaretur. Arausicani Patres, ann. 441, concedunt Episcopo, qui in aliena ditione Ecclesiam extruxerat, illius Ecclesiae administrum eligere. Eodem tempore in Oriente laici fundatores Ecclesiarum vel Monasterii, aut Xenodochii, nominabant sacros ministros ad ejus servitium addicendos, eligebantque Abbates; de quo videte Thomassinum part. 2. lib. 1. In Occidente concessum est post dimidium sextum saeculum, ut fundatores oratorii, vel paraeciae, idoneos exiberent Episcopo, ut illis praeficerent. Facultas nominandi ministros ad Ecclesias inerat solis fundatoribus, nec ad haeredes progrediebatur; verum frequens privatorum saecllorum usus, et Ecclesiae laicis in feudum concessae, haereditariam effecero nominationem nono saeculo, aliisque posterioribus. In hac potestate offerendi Ordinario collatori idoneum ministrum, ut illum in vacante beneficio instituat, positum est praesertim juspatronatus.

II. Acquiritur jus patronatus fundatione, aedificatione, et dotatione secundum canones. Sic tres concurrant oportet, unus donet aream in qua aedificetur Ecclesia, alter exaedificet, postremus redditus assignet. Singuli conjunctim patronata potientur. Pari modo Ecclesiae extructae, quae patrimonio carent, assignando redditus, consequi quis potest patronatum. Legitima praescriptio, donatio, privilegium Pontificium, afferunt quoque Patronatum.

III. Patronatus est *Ecclesiasticus*, *vel laicus*. Ecclesiasticus habetur ille, qui ex bonis Ecclesiae fundatus est, aut alicui comunitati sacrae, Ecclesiae, eorumque nomine etiam laico, uti Abbatissae, vel dignitati Ecclesiasticae adhaeret. Laicum jus Patronatus dicitur quod ratione patrimonii attribuitur; cumque patrimonium civile sit, spectat ad Clericum, vel laicum. Si Laicus patronatum Ecclesiae cedat, fit Ecclesiasticum. Recensetur etiam a Jurisconsultis *mixtus*, nempe partim Ecclesiasticus, partim laicus; idque evenit, si constitutum sit ex bonis Ecclesiae, et ex civili patrimonio; idem contingit, si patronatus a duobus laicis fundatus, unus jus suum concedat Ecclesiasticae comunitati. Hic patronatus induit utriusque naturam, et in speciebus obvenientibus ea conditio attenditur, quae magis favet patronis modo patroni conjuncti praesentent, litterasque nominationis simul impartiantur. Si enim disjunctim nominent, habent rationem ejus, qui nominat. Dividitur pariter patronatus in *familiarem*, *et gentilitium*, *activum*, *et passivum*. Eodem modo patronatus alius est *realis*, alius *personalis*; ille alicui rei vel praedio adhaeret, et qui iis gaudet, etiam patronatu potitur; alter convenit personae, seu familiae, nulla habita ratione fundi, et personalis appellatur, ut distinguatur a reali. Atque hic transit ad haeredes, nec desinit morte personae. Patronatus realis originem plerumque ducit ex Sacrariis, quae Nobiles in villis et feudis extruebant, erantque in suis primordiis temporaria officia, quae abierunt temporis tractu in paraecias, et beneficia juris patronatus. Hic patronatus, si adhaereat feudo, possideaturque ab Ecclesiastica comunitate, laicus habetur, cum in feudorum causa Ecclesiastici putantur laici.

IV. Pluribus modis transfertur patronatus; primo si haereat dignitati, et cui haec confertur patronatus etiam attribuitur, quod si haerescat rei, in quem res transit etiam patronatus venit, quamvis ejus non fiat mentio, immo per solum dominium utile fundi traducitur patronatus; quoties patronatus inest doti uxoris, maritus praesentat. Rata est praesentatio facta a possessore bonae fidei, quamvis postea fundus evinceretur. Non licet augere praetium fundi ob jus patronatus, quia est res spiritualis. Jus patronatus haereditarium transit ad haeredes in solidum, quia est individuum, et succedunt haeredes in stirpem, non in capita, nisi aliud testator praescripserit. Denique patronatus transit ad alios permutando beneficium cum alio beneficio, donatione, cessione, quae si pro Ecclesia vel monasterio fiat, non est opus consensu Episcopi, tandem per praescriptionem.

V. Praecipuum officium eorum qui gaudent patronatu est idoneum designare ministrum, eumque exhibere ordinario collatori ad instituendum, sive per se, sive per litteras, quae re ipsa tradendae sunt collatori, ut praesentatio rata sit, et firma. Etiam quando nominatio erat cum ordinatione conjuncta trium mensium tempus erat praestitutum nominationi; hodie definitum est spatium quatuor mensium pro laica praesentatione, sex autem permittuntur patronis Ecclesiastici patronatus, ex Bonifacio VIII. cap.un. *de jure patron. in sexto.* Supputatur initium hujus intervalli a die cognitae vacationis beneficii; ita ut elapso tempore statuto, beneficii attributio ad Ordinarium labitur. Cum patronatus, ad plures patronos spectat, illud videndum, num ad eos pertineat veluti repraesentantes comunitatem, vel ad singulos attineat. Patroni personam col-

legii sustinentes, hoc jure potiuntur ratione collegii, ideoque a collegio nominatio agenda est, quae speciem electionis cum praeseferat, omnes adscripti collegio vocati sunt, ne irrita sit nominatio; si singulis individuis patronatus convenit, unusquisque separatim, distincto tempore, dissimilibus litteris, et diversam personam nominare potest. Si quisque diversam personam exhibeat, licet Ordinario conferre cui lubet; quando vero major pars praesentantium in unum concurrit, is reliquis anteponendus. Quousque elapsum non est nominandi tempus, laicus patronus potest unum, et alterum, nemine adhuc instituto, praesentare Ordinario; nec opus est, ut primum nominatum beneficium recipiat. Tanta facultas, qua carent Ecclesiastici, datur laicis, ut liberius ordinarius distribuere beneficia possit. Orto litigio inter patronos ob personam praesentandam, possunt patroni *ex Clementina secunda de jure patronatus*, plures nominare, ut Episcopus quam velit seligat. Si autem lis sit inter patronos de jure patronatus, et inter quatuor menses altercatio non fuerit composita, Episcopus ad vitandum Ecclesiae damnum potest illa vice beneficium attribuere. Si unus litigantium sit possessor bonae fidei, et praesentet, non rescinditur nominatio. Prohibent jura ne patronus se ipsum nominet; si plures sint patroni, valent concurrere in aliquem patronum nominandum. Cadunt jure nominandi patroni quando indignum manifeste praesentent, et illa vice ordinarius beneficium largitur.

VI. Plures honores tribuuntuur patronis, et sunt, processionis, precum, thuris, sedis, aquae benedictae, panis benedicti, et sepulturae; utilitatem quoque percipiunt ex Ecclesiis sui patronatus; debent enim Ecclesiae eos alere, si in egestatem venerint. Studiose

curent oportet ut divinus cultus rite exerceatur, generalem quoque perspicientiam adhibere debent, ne bona juris patronatus dissipentur.

VII. Patronatus extinguitur pluribus modis; ex voluntaria fundatoris cessione, praescriptione, ex interitu Ecclesiae, vel gentis, aut familiae patronorum, si Patronus vendiderit patronatum, aut vim intulerit Ministris Ecclesiae patronatae, vel in haeresim inciderit, quia a solis Catholicis Patronatus acquiri, et possideri potest, denique crimine lesae Majestatis, per quod jura civilia adimuntur. Cum debeat Ordinarius nominatum intra tempus, et idoneum repertum, sine ulla cunctatione compotem efficere beneficii, ideo videntur Patroni astringere Ordinarium ad beneficium conferendum; sed reapse canonica beneficii institutio ad Episcopum semper pertinet. Quare, cum per hanc institutionem tribuatur titulus beneficii, ipsumque beneficium percipiatur, et Minister praeficiatur Ecclesiae, atque edicant canones Episcopos esse distributores, suapte natura haec institutio spectat ad Episcopum: ex privilegio, consuetudine, praescriptione poterat etiam ad alios pertinere. Verum, institutionis jure ad alios praeter Episcopum delapso, eveniebat sine delectu, et jussu Episcopi institui Clericos, etiam ad curam animarum. Decernit Tridentinum, Sess. 7 Cap. 13 de Reform., neminem praesentatum, nominatum a quocumque Patrono, ad quodvis beneficium institui posse, nisi prius ab Episcopo examinatus, et idoneus judicatus sit: decretum generale est, illud tamen jurisperiti contraxerunt ad beneficia animarum curam comprehendentia in quibus omnino desideratur examen et haec examinatio, et probatio vulgo appellatur institutio auctorizabilis; in aliis vero beneficiis

curam animarum etiam non habentibus, semper requitur Ordinarii probatio. Postremus institutionis actus est, quando ordinarius nominatum a Patrono in beneficii possessionem inducit, ritibus, et formulis in jure praescriptis. Hic actus *institutio corporalis* dicitur.

CAPUT VIII.

BENEFICIA ECCLESIASTICA DIGNIORIBUS SUNT CONFERENDA.

I. Ecclesiastica beneficia dumtaxat viris Ecclesiasticis esse impartienda, perspicuum est, cum Laici non possint obire officia spiritualia adnexa beneficiis, et si legimus aliena beneficia laicis data, ea non vera beneficia, sed fundos quosdam, ab antiquis beneficia dicta, intelligendum est. Idoneis Ministris beneficia tribuenda quis dubitet; et quidem in iis deligendis habenda est ratio officii obeundi, et ex hoc judicandum, an habiles sint, necne. Quando una eademque res erat sacris ordinibus iuitiari ac assequi beneficium, apparebant necessariae qualitates ad beneficium consequendum, nempe morum probitas, scientia, et divina vocatio; postquam ad forum beneficiorum causae adductae sunt, praescriptae etiam sunt nonnullae qualitates, quae in judicio probari possint: sunt autem sufficiens scientia, determinata aetas, qualitas personae, et immunitas ab impedimentis, seu irregularitate. Si adsint haec adminicula, attributio beneficii firma censetur, nec repellitur a beneficio, qui illud obtinuerit. Verumtamen distributores peccant cum beneficia non impartiuntur dignioribus; nec enim collatores sunt domini beneficiorum, sed dispensatores, qui in sua administratione gerenda bonum publicum sequi debent, cui magna pernicies infertur, si, digniori et utiliori omisso, minus digno beneficium

concedatur. Hac de causa Tridentini sanciverunt, Sess. 24. Cap. 1. de Reformat., omnem diligentiam adhibendam in ministrorum delectu.

II. Ex regula vigesima Cancellariae irrita est beneficii collatio, si ei adhaereat animarum cura, et recipiens beneficium ignoret linguam regionis, eo tempore, quo ei beneficium confertur. Ad omnia haec mala evitanda in conferendis Paroeciis, Trid. Sess. 24. de Reformat. Cap. 8., praescribit concursum.

CAPUT IX.

DE BENEFICIORUM UNIONE.

I. Incidunt tempora, propter quae duo, vel plura, beneficia in unum cogere expedit. Triplici ratione beneficia uniri possunt. Primo, si uno abrogato beneficio alteri subiiciatur; secundo utroque beneficio intacto, una Ecclesia in potestatem redigitur alterius, quae principalis declaratur, et adipiscitur redditus subactae, destinato Vicario ad regendam minus principalem; demum conjunguntur duae Ecclesiae, neutra alteri subjecta, sed utramque unus Pastor gubernat. Hujusmodi conjunctiones oportet, ut sint perpetuae quousque conjunctionis causa permanet.

II. Synodus Provincialis cum Metropolita judicabat olim hasce beneficiorum, etiam Episcopatuum, consociationes; extra suburbicarias Provincias Pontifices decimoprimo saeculo aliquas Ecclesias unire coeperunt, et aetate Caelestini III. regula statuta erat a Pontifice Episcopatus esse conjungendos. Inferiora beneficia in sua Dioecesi, assensu Capituli postulato, potest Episcopus in unum conflare; alii collatores

consensum Episcopi obtinere debent. Sede vacante, Capitulum unire potest beneficia, quae non pertinent ad solius Episcopi distributionem. Evidentem Ecclesiae utilitatem, vel necessitatem postulat. Trident., Sess. 23 et 24.

III. Quaedam beneficia simul copulare vetitum est. Nequeunt Episcopi suae mensae adnectere beneficia; secundo beneficia unius Dioecesis cum beneficio alterius conjugi non possunt; tertio Paroeciae non sunt adjungendae dignitatibus, Monasteriis, Hospitalibus, praebendis Canonicalibus, ne patronatus multiplicentur. Vetitum pariter Paroecias unire aliis beneficiis, praesertim juris patronatus. Interdixere Pontifices aliqua beneficia reservata conjungere; ante unionem vocandi sunt omnes, quorum interesse potest, et beneficia patronata sine permissu patroni jungi nequeunt. Mediis saeculis multae Ecclesiae, et Paroeciae adnexae sunt Collegiis Canonicorum, vel Monasteriis, quibus praestabant Laici, qui illas jure possidebant, vel sibi arrogaverant; etiam Episcopi, et Pontifices pluribus concesserunt plerumque, etiam intacto titulo Paroeciae, ut illis deservirent. Evenit postea distincta fuisse bona Ecclesiæ, et vindicata Monasteriis, quæ gubernationem rerum sacrarum tradebant viro Ecclesiastico, collato stipendio; hic Minister ad nutum Monasterii revocabatur, et cum alius Sacer Minister sufficiebatur, quidpiam pendebatur Episcopo. Hunc morem improbarunt Canones; plura quoque Concilia perpetuos Vicarios constitui curarunt, quibus Monasterium convenientes redditus impartiretur. Trid., Sess. 7. et 25., integrum fecit Episcopum, perpetuum, vel ad nutum praefici Vicarium, voluitque, ut generatim Vicarius ab Antistite probaretur.

IV. Eodem pacto quo beneficia in unum conflantur, ita et dividuntur, semper interveniente necessitate, vel utilitate, atque publica auctoritate consentiente. Facilius beneficia unita dissolvuntur cum in pristinum statum adducantur.

CAPUT X.

DE BENEFICIORUM RENUNCIATIONIBUS, ET PERMUTATIONIBUS.

I. Ad rem nostram triplici pacto beneficia dimittuntur; primo libere, nulla adjecta conditione; secundo causa alieni commodi, et vulgo dicitur renunciare in favorem; postremo permutando beneficium in aliud beneficium. Non improbarunt Leges eos qui juxta ex causa, sine ulla conditione, cedunt beneficio; immo sub Alexandro III. frequenter Ecclesiastici abdicabant sua beneficia: poenes antiquos tota abdicationis ratio sita erat in dimittendo officio, et remittendis sportulis, quas ab Ecclesia percipiebant.

II. Renunciatio in favorem, qua dimittitur beneficium, ut alteri concedatur, aliena est a Saeris Canonibus, qui vetant privatas beneficiorum, ac veluti haereditarias distributiones, quae vinculum injiciunt Electoribus, et Ordinariis beneficiorum largitoribus. Renunciationes hujusmodi non sunt antiquiores decimoquinto saeculo, multumque suspectae ob conditionem adjietam a renunciante, qui non vult dimittere beneficium, nisi concedatur alicui indicatae personae, et hac de causa proscriptae. Trident., Sess. p. 5. cap. 7. de Reform. abstulit renunciationes cum accessu, vel regressu: primae fiebant quoties puero conferebatur

beneficium, qui propter aetatem ad beneficium percipiendum non erat idoneus, interim alter eo potiebatur usque ad illud tempus, quo puer creverat, statutamque aetatem attigerat. Alterae continebant conditionem per quam, si dimittens beneficium diutius viveret ac ille qui illud receperat, ad ipsum regrederetur.

III. Renunciatio pura locum habet simul ac ordinarius consentit. Renunciatio autem affecta conditione suum consequitur effectum, conditione expleta. Ceterum dimissiones Episcopatus, et Abbatiae deferendae sunt ad Pontificem, sicut abdicationes aliorum beneficiorum in favorem alicujus, ex decreto Pii V. *ante Ecclesiam.* Resignatio permutationis causa est illa qua uterque suum beneficium abdicat, ut alter alterius beneficium assequatur. Hinc hisce mutationibus vitanda sunt pacta, totaque permutatio remittenda Episcopo, qui ex justa causa potest Ministros ex uno in aliud beneficium transferre. Licet quoque cedere beneficio, et supplicare Episcopum, ut ei concedat pensionem ex justa causa paupertatis, vel decrepitae aetatis. Regula vigesimasesta Cancellariae vetat eos renunciare beneficia, qui ad dignitates sunt promovendi, quia haec beneficia sunt reservata Pontifici.

IV. Lite mota de beneficio, nequit possessor renunciare alteri praeter competitorem. Pendente autem judicio criminali, non licet renunciare in favorem. Ex regula decimanona Cancellariae nulla est abdicatio in favorem, vel ex permutatione, si intra vigesimum diem a renunciatione moriatur ille qui cedit beneficio. Non licet dimittere beneficium illi qui ejus titulo sacros ordines recepit, nisi aliunde provideatur. Nefas quoque beneficium abdicare, vel pensioni concedere, quoties post mortem possidentis haec unienda sunt Me-

nasterio, vel Ecclesiae. Qui hoc crimen committunt, ipso jure beneficio sunt expoliati, cum non possint sese abdicare; nemini vero permissum dimittere beneficium sine venia Ordinarii distributoris, et pro resignatione in favorem, haec petenda a Pontifice.

CAPUT XI.

DE BENEFICIORUM PLURALITATE.

I. In priscis Canonibus nullum legimus decretum quod vetet plura beneficia simul retinere, quia distinctio beneficiorum ab ipsis ordinibus erat ignota, nec beneficiorum attributio separata ab ipsa ordinatione. Verum cum nemo ea aetate sacris ordinibus initiaretur, qui una simul certae Ecclesiae non adscriberetur, et accipiendo Sacros Ordines eidem perpetuo alligaretur, et hoc perinde esset ac percipere beneficium; idcirco Canones prohibentes, ne ullus simul plures Ecclesias administret, praecipiunt pariter ne quis plura possideat beneficia. Hanc legem ferunt canone decimo Chalcedonenses Patres ad coercendam inanem gloriam, et divitiarum cupiditatem.

II. Septima vero generalis Synodus anni 777. reos turpis negotiationis facit Ministros, qui duplicis Ecclesiae gubernationem capessebant; illud maxime urget, hominem adscriptum servitio unius Ecclesiae, non posse alteri inservire. Haec erat generalis Lex, quae non remittebatur nisi ob prementem necessitatem, perspicuamque utilitatem, ut pluribus demonstrat Thomassinus, part. 2. lib. 3.

III. Saeculo duodecimo introducta est distinctio inter beneficia quae residentiam postulant, et quae

eam non desiderant, et passim simplicia dicuntur, cum antea unumquodque beneficium quemlibet consedere in sua Ecclesia constringeret. Semel ac patuit aditus ad occupanda plura beneficia, continuo tacuerunt Canones, facileque fuit usurpare complura beneficia ad residendum obligantia.

IV. Hanc corruptelam extirpare conatum est Lateranense III., Canone decimotertio et decimoquarto, praecipiens, ne ullus plura simul obtineret beneficia. Irriti fuere omnes labores Patrum, uti testatur Lateranense quartum, quod cavit ne duo beneficia habentia animarum curam, vel dignitates, aut Patronatus retinerentur; quare Patres visi sunt nullam poenam nominatim irrogare iis qui potirentur beneficio animarum curam conjunctam tenente, et simul altero simplici beneficio. Nihilominus tanta indulgentia non omnino cupidos coercuit. Nam cum Lateranenses Patres edixissent litteratorum hominum, vel dignitate sublimium habendam esse rationem a Romana Sede, undique ad Pontificem concursatum est ad veniam obtinendam, uti liquet *ex capitulo 3. de Officiis Ordinarii in sexto*, atque extravaganti *execrabilis* Joannis XXII., qui abrogat anteriorum Pontificum facultates impertitas retinendi plura beneficia, exceptis Cardinalibus. Parum profecere Pontifices, inveteravitque abusus novis inventis commendatis, atque diverticulis Ecclesiae *intitulatae*, vel *commendatae*, vel Ecclesiae duplicis, quarum una penderet ab alia.

V. Huic malo omnibus viribus studuerunt mederi Tridentini, a quibus primo sancitum est nemini licere habere simul plures Metropolitanas, vel Cathedrales Ecclesias, aut cura affectas, aliave beneficia incompatibilia; verum cum in hac Sess. 7. de Reform. Cap. 2,

non distincte explicassent, quaenam essent beneficia incompatibilia, idcirco Sess. 24. Cap. 17. de Reform., severe praecipiunt ut unum dumtaxat beneficium singulis conferatur; illudque, si ad honestam ducendam vitam minime sufficiat, aliud simplex obtineri possit, modo utrumque ad residendum non obliget, et repetunt veteres poenas, per quas possidens beneficium, si aliud incompatibile assequatur, primum ipso jure vacare censendum est, et si utrumque retineatur, utroque carendum est.

VI. Beneficia maxime incompatibilia putantur ea, quae cum quis unum adeptus est, si alterum consequatur, primum ipso jure vacat, uti de sedibus Episcoporum, dignitatibus, personatibus, et curatis beneficiis, vel simplicibus beneficiis in eadem Ecclesia collocatis sicut decernit Lateranense quartum; minus autem incompatibilia existimantur ea beneficia, de quibus, si duo simul possideantur, non est decretum in jure vacari ipso facto. Ceterum ratio, quae movit Tridentinos ad vetandum ne multiplex beneficium ab uno retineatur in eo cum sita sit, quod isti Ministri obire nequeant officia conjuncta beneficiis, viderint illi, qui pluribus fruuntur beneficiis, quam confidenter sibi blandiantur. Legite Rigantium in primam regulam Cancellariae §. 8. Non inficior, interdum esse utile, ac necessarium propter publicum bonum laxare legem de unitate beneficii. Et quidem Episcopi in beneficia suae Dioecesis hac utebantur facultate, quia Canones prohibentes duplicis Ecclesiae servitium, hoc ipsum permittunt, assentiente Episcopo. Sed advertite, jure novissimo hoc jus ad solum pertinere Pontificem ex Concilio IV. Lateranensi.

CAPUT XII.

DE PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS, ET ANNATIS.

I. Pensio est pars fructuum beneficii alteri Clerico pendenda ab eo, qui possidet beneficium. Ephesini Patres, et Chalcedonenses, necnon Gregorius Magnus permittunt egenis Clericis, vel Episcopis sua Sede expulsis et indigentibus, ut ex bonis Ecclesiae, in quam se receperunt, eis subveniatur. Recte igitur profectum, in eum usum absumi bona, quae collata sunt a fidelibus ad alendos pauperes, et calamitatos juvandos, cultum divinum exercendum, honesteque sustinendos sacros administros. Ab hoc sacro instituto, quod jus divinum sancit, recesserunt nonnulli Episcopi, qui in conferendis beneficiis magnam fructuum partem sibi accersebant, quod vituperarunt Lateranenses Patres sub Alexandro III.

II. Arbitrantur nonnulli interpretes, dum Sacri Canones vetant beneficia dividi, ipsas quoque pensiones proscribere. Illud quod certum est, sicuti ex publico bono disiungi in partes queunt beneficia, sic has pensiones imponere licitum esse. Vidimus olim Episcopos omnem Ecclesiae censum administrasse, tunc quoque et pensiones decrevisse. Hanc potestatem eis ademptam a Lateranensi III., et attributa solo Pontifici pragmatici opinantur, tamen ex publico bono adhuc Episcopos ea posse uti censeo. Pensiones immoderatas, quae necessaria ad victum aliis usurpant, et alia munia cum beneficio sociata implere impediunt, contrarias esse justitiae, et canonibus perspicuum est; quamobrem Trid. Patres Sess. 24, de Reform. cap. 14. constituunt, ut Cathedrales Ecclesiae mille ducatorum, et Paro-

chiales 100., uberiorem vero fructum non afferentes, nulla pensione onerandas esse. Ceterum pensio in pecunia solvenda est ad lites fugiendas.

III. Differunt pensiones a beneficiis, quia nullius sacri officii causa statutae sunt; idcirco sine permissu Episcopi dimittuntur; ad beneficii vero naturam accedunt, quia vendi, emique nequeunt, et solis clericis conceduntur ex Pio V. qui pensionum possessores adstrinxit ad recitandum officium Beatae Virginis; et ad quemcumque transit beneficium, cum ipso commigrant. Desinunt morte creditoris, vel si gradu moveatur, vel incidat in crimen haeresis, lesae majestatis, vel percusserit Cardinalem, aut Episcopum, in cujus Dioecesi pensio est stabilita, vel matrimonium inierit, aut in religione profiteatur, vel condonet pensionem, sive intereat res, ex cujus fructu pensio decerpebatur.

IV. Annata est fructus beneficii solvendus Romanae Curiae. Saeculo duodecimo Episcopi, et Abbates solebant fructus beneficiorum ad suas dignitates vel monasteria pertinentium exigere, ut pluribus demonstrat Thomassinus. Ex Romanis Pontificibus primus omnium Clemens V. sibi ab biennium redditus omnium beneficiorum, quae vacassent in Anglia in illo biennio sibi asseruit. Mos erat inductus eo temporis, ut in Romana Curia consecrati Abbates, et Episcopi statam pecuniam largirentur Pontifici ad res Ecclesiae sublevandas; haec summa soluta exaequabat fructus unius anni sui beneficii. Joannes XXII. generaliter vindicavit Romanae Curiae fructus primi anni quorumcumque beneficiorum vacantium intra triennii spatium, exceptis Episcopatibus, et Abbatiis regularibus.

V. Bonifacius IX. anno 1393. omnium beneficiorum cujuscumque generis fructus dimidiam partem

unius anni in Pontificium aerarium comportari voluit, eo pacto, ut ille, cui tributum fuerat beneficium, non prius reciperet rescriptum collati beneficii, nisi dimidium fructus annui persolvisset. Gallicani Praesules in Constantiensi Concilio oppugnarunt annatas; nihil tamen in eo Concilio fuit sancitum. Basileense Concilium Sess. 12. exscidit annatas, ac spondent Patres alia ratione se provisuros Pontifici, ejusque ministris; id si non contingat, permittunt annatas dimidiato praetio, quod antea tribuebatur, et datis unius anni induciis obtinentibus beneficium ad persolvendam pecuniam, quam vetant exsolvi ante bullarum concessionem. Jurisconsulti etiam laxiores, cum illas concesserit conciliabulum Felici pseudo Pontifici quibusdam sub conditionibus, advertunt, annatas non expostulari ob spirituale officium, vel titulum beneficii, sed illas decerpi ex fructibus beneficii nondum collati propter totius Ecclesiae necessitates; adeoque ex eodem Concilio demonstrant, quod verum aliunde est, videlicet id non esse adversum sacris Canonibus.

CAPUT XIII.

DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.

I. Ad sacrum cultum exercendum, juvandos egenos, sustinendosque sacros ministros institutum est patrimonium Ecclesiasticum. Quare pernecessarium erat, ne ad cujuslibet ingenium, arbitriumque distraheretur, disperdique deberet. Hoc vetuerunt sacrae, atque civiles leges, istaque monumenta refert Thomassinus. Quin immo Antistites jurabant, nunquam se bona Ecclesiae alienaturos. Ex hoc concludunt Juris-

consulti prohibitam esse venditionem, donationem, permutationem, emphiteusim patrimonii Ecclesiastici, istudque nec pignori, nec hypotecae supponendum esse. Praecipiunt pariter canones, ne alienentur haereditates, quae annuum fructum ferunt. Hae autem veterum sanctiones, non ita accipiendae sunt, ut nulla unquam causa exposcere possit venditionem patrimonii; immo triplex proponitur causa ab ipsismet legibus. Sunt autem, necessitas, utilitas, et pietas; necessitas, inquam, vel Ecclesiae, si aere alieno gravata sit, neque fructibus liberari possit, vel reipublicae ex Pontificis consensione, cujus incolumitas etiam illam Ecclesiae continet. Pietas cogit distrahere ipsa vasa sacra, veluti ad calamitosos, egenosque levandos, vel captivos redimendos, uti scripsere Patres. Utilitas Ecclesiae suadet vendere partem bonorum ad ruinosam sarciendam Ecclesiam, aliaque id genus, quae in divinos cultus incrementum cadunt.

II. Ad impediendas fraudes, perniciosasque distractiones lex erat, ut nullus patrimonium Ecclesiae venderet, nisi re agitata, et deliberata in synodo provinciae. Provincialibus Conciliis prope desinentibus, Episcopus cum Clero, vel Canonicorum collegio negotium tractabat, ejusque assensu decernebat. Monasteria vero rem absolvebant ex Abbatis, et monachorum deliberatione, ac Episcopi jussu. Cum in his deliberationibus capiendis orirentur litigia, Antistites, et Abbates, confugiebant ad Pontificem, eo vel maxime quod saepe a Pontifice confirmati, ac consecrati eidem jurarent de bonis Ecclesiae non alienandis, Pontifice inconsulto. Hinc, inducta consuetudine, Paulus II. in extravaganti *ambitiosae de rebus Ecclesiae non alienandis*, facultatem alienandi

sibi accersivit, Romanamque veniam petendam decrevit. Solummodo terrulae minus utiles, et res, quae servando servari non possunt, unius Episcopi auctoritate recte alienantur.

CAPUT XIV.

DE PECULIO CLERICORUM.

I. Clericorum opes dividuntur in eas, quas possident ob sacra munia, quibus funguntur, et illas, quas ob civiles causas possident, ac retinent. Sicut ceteri cives, istorum bonorum domini sunt, et de iis testari, et quos volunt haeredes, constituere possunt. Hanc veniam eis impartierunt Canones. Ne vero Antistites testantes de civili patrimonio quidpiam etiam decerperent de sacris bonis permissum iis erat condere testamentum de illis dumtaxat facultatibus civilibus, quae ante adeptam Sedem, vel sacrum munus possidebant; si quas post susceptum sacrum officium consequebantur, nisi res clara esset, earum nulla erat testamenti factio, sed rata pars relinquenda erat Ecclesiae. Denique si intestati absque legitimo haerede obibant, haereditas obtingebat Ecclesiae ex *L. 1. in Codice Theodos.*

II. Patrimonii vero sacri alia est ratio, quod hujus patrimonii sunt tantum administri, et perceptos fructus si excipiamus, necessaria ad decentem victum in pios praescriptos usus insumere debent. Quare peculium ex hisce bonis collectum suapte natura cedebat Ecclesiae, a qua ad normam canonum distribuendum erat. Hac de causa vetus disciplina non permittebat Episcopis, aliisque testamentum condere de istis

opibus. Procuratoribus autem sacri redditus, quia facile erat ex rebus Ecclesiae in illarum gubernatione potuisse aliquam partem sibi arrogare, nulla eis data testandi venia.

III. Secundum veteres Canones, et disciplinam praescriptam a Gregorio Magno Ecclesiasticae facultates quae supererant post mortem, describendae erant a selecto Clerico, et custodiendae, donec Episcopus electus esset, cui ratio reddebatur. Postquam beneficia instituta sunt, spolia defuncti ad eam Ecclesiam, in quam beneficium fundatum erat pertinere, pro certo habebatur. Frequenter hac in re, etiam antiqua disciplina florente, peccatum est tam a Clericis, quam a Laicis. Chalcedonenses Patres Canone 21. istas nefarias direptiones improbant, suoque gradu amovent Clericos hujus criminis reos. Ad haec fortasse impellebatur Clerus, quia mortuo Episcopo procuratores rei Ecclesiasticae non suppeditabant necessaria Clericis; institere Laici praesertim Comites, ac Duces, qui Episcoporum et Parochorum spolia sua fecere. Bona Ecclesiae a Laicis duodecimo saeculo fuere impedita, erumpente Arnaldistarum haeresi, quae crimen vertebat Clericis ac Monachis terrenas facultates possidere. Quare Lateranense III., ac IV. firmarunt Chalcedonensem legem, et proscripserunt rapinas facultatum defuncti Episcopi, alteriusve Ministri. Hac de causa quamquam Patres referentes animum ad naturam patrimonii sacri ducerent irrita testamenta cujuslibet Ecclesiastici, quibus non Ecclesia, sed consanguinei, aliique haeredes instituerentur de bonis partis sacro officio; tamen non reprachendebant illos sacros Ministros, qui ad impediendas direptiones, muniendumque sacrum Patrimonium descri-

berent ultimas tabulas, et Ecclesias haeredes constituerent.

IV. Nonnulli Episcopi innixi consuetudini, vel privilegio Pontificio, cujus exemplum est in Capitulo 18. *de verborum significatione*, vindicarunt sibi Clerici facultates, si ab intestato occumberent. Ipsimet Abbates, quidquid a defunctis Monachis erat in unum coactum, ad se pertinere arbitrabantur. Haec consuetudo omnino non improbata fuisset, modo occupata spolia in sacros usus fuissent tributa. Quamobrem Bonifacius VIII. Capitulo ultimo *de officio ordinarii in sexto* non rejicit hunc morem, vel privilegium; prohibet vero Episcopis spolia mortui Clerici vindicare, si ille testatus esset. Ab aetate enim Alexandri III. Capitulo 12. *de testamentis* solebant Clerici quidpiam largiri pauperibus, suisque famulis, vel locis piis de rebus mobilibus ex sacro patrimonio comparatis. A mobilibus ad immobilia proclive fuit progredi; hinc inducta est consuetudo decimoquarto, et decimoquinto saeculo, quae minoribus Clericis facit testandi veniam. Ast Praesulibus generatim prohibent Pontifices, quamvis nunc contraria vigeat consuetudo.

V. Hactenus de Clericis, qui testati obeunt, nunc de intestatis. Horum facultates ad Ecclesiam spectare generalis lex fuit, cautumque, ut relictae a defuncto opes, et vacantis beneficii fructus reservarentur successori, et post decimumsecundum saeculum interdum concessum Episcopis, ut illas in pios verterent usus. Denique attributae etiam haeredibus, eas videlicet, quae non ex Ecclesiae proventibus, sed ex privato patrimonio Clerici possident.

VI. Diximus de Clericis peculiaribus; videamus modo, quae ad Ecclesias pertinent. Antiqua discipli-

na praescribebat patrimonium vacuae Ecclesiae, vel beneficii, Praeside Episcopo Interventore, administrari ab Archidiacono, vel OEconomo, qui divino cultui, aliisque piis usibus prospiciebat, servabatque futuro successori illam annuorum reddituum partem, quae Episcopo viventi erat adjudicata.

VII. Quoniam vero optimates, et magnates Ecclesias in sui tutelam et defensionem accipere solebant, factum inde fuit, ut Ecclesiasticum patrimonium ab eis administraretur. Cum autem vacantium Ecclesiarum bona mediis saeculis passim diriperentur, Romani Pontifices selectos viros sub nomine *collectorum*, et *subcollectorum* destinarunt, qui Ecclesiarum ubique vacantium reditus procurarent, exceptis tantum Ecclesiis Regiae nominationis, et beneficiis juris patronatus Regii, et feudalis.

VIII. Graves exinde concertationes inter Sacerdotium, et Imperium excitatae fuerunt, donec Tridentinum constituit, Sess. 24. de Reform. Cap. 16, ut mortuo Episcopo, unus, pluresque OEconomi per Capitulum constituantur, qui et Ecclesiae vacantis bona administrent, et suae administrationis Episcopo successori rationes reddant. Nec defuere pacta conventa; quae diversimode de rerum Ecclesiasticarum administratione sanxerunt. Apud nostrates primum Mons dictus frumentarius, nunc vero Administrationes Dioecesanae hujusmodi negotium conficiunt. Legite Concordata.

CAPUT XV.

DE ECCLESIASTICORUM, EORUMQUE BONORUM IMMUNITATE.

I. *Munus*, prout hic a nobis accipitur *onus sine honore*, ac *distinctione* significat; hinc immunitas denotat exemptionem ab onere. Definitur: *jus*, *quo Ecclesiae*, *aut alia loca sacra*, *necnon personae Ecclesiasticae*, *ac res ipsarum liberae*, *ac immunes sunt a muneribus*, *et oneribus saecularibus*, *atque ab actibus eorum sanctitati*, *et reverentiae debitae repugnantibus*. Triplex hinc vulgo distinguitur immunitas; alia quippe est immunitas *localis*, altera *personalis*, tertia demum *realis*, prout sive loca, sive personas, sive earum bona respiciat; nos quoniam, cum de asylo sermo erat, de immunitate locali diximus, debemus quaedam etiam de personali, et reali immunitate subnectere.

II. Et primo aperiamus oportet, num de jure divino, vel humano sit immunitas constituta. Sane vero statuit Tridentinum, Sess. XXV. cap. 20. de reformatione: *Ecclesiae et personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione*, *et canonicis sanctionibus fuisse constitutam*; in quo quidem advertendum, non dixisse Concilium divino jure, divino praecepto, divina lege immunitatem fuisse constitutam, sed *divina ordinatione*, videlicet, quod sit valde consonum iis, quae in Dei verbo consignata sunt; ex quo eruitur, immunitatem Ecclesiasticam fundamentum habere in divinis litteris, sanctionem in canonicis, civilibusque legibus; uno verbo immunitatem esse constitutam jure divino *probante*, *suadente*, non autem absolut e *jubente*.

III. Et revera, in veteri foedere legitur Genes. 47. Pharaonem, postquam omnibus OEgyptiis tributa indixit, subjunxit: *praeter terram Sacerdotum, quae tradita fuit eis*; hinc sacer textus: *ex eo tempore usque ad praesentem diem in universa terra OEgypti regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem absque terra Sacerdotis, quae libera ab hac conditione fuit.* Idem legitur apud Esdram cap. 7. de Rege Artaserse, qui custodibus publici Ærarii scripsit: *Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, et Levitis, et Cantoribus, et Janitoribus, Nathinaeis, et ministris domus Dei hujus, ut vectigal, et tributum, et annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.*

IV. Sed adhuc clarius ostenditur in novo: Christus enim postquam generatim dixit: *reddite, quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*; voluit exceptionem facere de Sacerdotibus, quando comparatione inducta, ostendere voluit, juxta Patrum et Doctorum interpretationem, Clericos exemptos esse debere. *Accesserunt*, ita in Evangelio legitur Matth. cap. 1. 23, *qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma. Ait: etiam. At cum intrasset in domum, praevenit eum Jesus dicens. Quid tibi videtur, Simon, Reges terrae, a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Jesus. Ergo liberi sunt filii; ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte amum et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sume, da eis pro me, et te.*

V. Hactenus dicta respiciunt bona Ecclesiastica Clericis tributa; si autem sunt bona patrimonialia quae ab ipsis possidentur, etiam a tributis exempta sunt; hoc autem nonnisi ex privilegiis Principum evenit, quod etiam conformior est juri naturae. Audiatur Divus Thomas. *Ab hoc debito solvendi tributa*, inquit ille, 2. 2. q. 188. art. 7. *liberi sunt clerici ex privilegio Principum. Quod quidem aequitatem naturalem habet. Hoc autem ideo aequum est, quod sicut reges sollicitudinem habent de bono pubblico in bonis temporalibus, ita ministri Dei in spiritualibus ministrant, et recompensant Regibus, quod pro eorum pace laborant.* Stat igitur immunitatem fundamentum habere in jure divino, et naturali.

VI. Sed adhuc firmata fuit immunitas civilibus etiam legibus, canonicisque sanctionibus. Statim enim ac Imperatores fuerunt Christiani, personali privilegio Clerici potiti fuere, eorumque bona a publicis oneribus exempta. Liceat brevi pede percurrere Principum Constitutiones.

VII. Imperatoribus enim generatim persolvebatur census ob bona, et praedia; at ab Constantino liberas declarantur Ecclesiae possessiones ad Corpus Ecclesiarum spectantes *L. 1. Lib. II. tit. 1. Cod.* Theodosiani; Constantius vero per *Legem 15. Lib. 60. titul.* 2. Clericos ex tenui mercatura viventes exemit a sordibus muneribus, et in conlatione caeteros omnes Clericos possessores jubet recognoscere fiscalium pensitationes. Hoc tamen tributum imponit agris Ecclesiae Valentiniani senioris epistola ad Asiae Episcopos.

VIII. Anno 412. Honorius jubet, ne Clericorum bona praeter censum ullis subjaceant tributis: Theodosius junior concessit Ecclesiae Thessalonicensis agro-

rum immunitatem, atque cujuslibet vectigalis. Constantius anno 343. immunitatem negotiationum Clericis permisit, et anno 360, ad tenuem mercaturam contraxit privilegium, et confirmavit anno 379. Gratianus; et anno 401. Honorius; demum Arcadius omne privilegium abstulit anno 399. Clericis e mercatorum numero; Valentinianus vero, Novel. 12. quamlibet negotiationem eis vetuit.

IX. A metatu, seu commeatibus dandis Imperatoriis Ministris, et militibus iter facientibus ex Constantii Lege erant Clerici immunes. A superindictis, et extraordinariis tributis, qualia erant, quae ad tempus statuebantur, erant Clerici soluti ex sanctione Constantii anno 343., Honorii, ac Theodosii junioris. At Valentinianus III. indicatam immunitatem abrogavit, et officia, quae dicebantur sordida, voluit honorifica appellari. Justinianus restituit privilegium, sed reficiendis viis, et pontibus supposuit. Atque ab evectionibus Ecclesias exemit Constantius, postea anno 360. supposuit, iterumque anno 382. redditum est privilegium, ac confirmatum per Honorium; denuo ademptum per Theodosium juniorem, et Valentinianum. Ecclesiae, et pia Loca, quae instituebantur haeredes a Curiali non solvebant tributum Curiae ob haereditatem captam ex Novell. Justin. 131. Quod autem erat maxime molestum Civibus Romanis, erant civica, et personalia tributa, quorum alia pendebantur ob patrimonium, et patrimonialia vocabantur; alia dicebantur honorifica, vel sordida, a quibus omnibus subduxit Clericos Constantinus per Epistolam ad Annulinum Africae Praefectum; a personalibus etiam Gratianus, et Valentinianus II. exemit Ecclesiasticos; sordida officia, tam personalia Clericis, quam patrimonialia Ecclesiae remi-

serunt Constantius, Valentinianus II., Theodosius Magnus, et Honorius.

X. Ad declinanda Curiae munera aliqui describebantur inter Sacros Ministros, idque ceteris magnopere incomodum erat; cavit propterea Constantinus, ne quis curialis, et ad obsequia Curiae obeunda idoneus inter sacros Ministros referretur, et post legem latam etiam Praelatus restitueretur. Hinc lites motae sunt Ecclesiasticis, ad quas dirimendas distincta sunt Bona Ecclesiastica a Personis, et istae liberae fuere, illa supposita tributis. Excipiebantur bona Antistitum, et Clericorum electorum ab omni populo, aut ex Curiae consensione. Sic placuit Constantio; posteri vero Imperatores coegerunt Clericos curiales, aut possessiones descrere Curiae, aut eidem per se, vel per alium servire. Sic sanciunt Leges Valentiniani senioris, Valentis, Valentiniani II., Theodosii Magni. Arcadius anno 398. edixit a Curia revocandos Curiales Ministros sacratos; demum anno 399., permisit majoribus Clericis, ne discederent ab Altari, ceteros a venia exclusit; idemque firmarunt Theodosius junior, Valentinianus III., et Majoranus, atque Justinianus, qui tamen in Novell. 123. legem mitigavit, concedens Clerico inferiori jam Monachi vitam professo, et in ea quindecim annis exactis, et tertia parte sui patrimonii Fisco, et Curiae relicta, non discedere.

XI. Hae fuerunt praecipuae Imperatorum leges, quae immunitatem diversimode modificarunt, ex quibus non eruitur, posse Principem arbitratu suo immunitatem Clericis adimere; cum enim isti Ecclesiae imperio subdantur, quod summum est, jure suo privari non potest Ecclesia, nisi sua voluntate consentiat.

XII. Ecclesia Graeca post eccidium in Occidente

Romani Imperii stetit Justiniani legibus, cum usque ad decimumquintum saeculum Graecis obtemperaverit Imperatoribus. Ast in Occidente multa exorta sunt Regna, quae exterae gentes fundarunt, quorum Proceres, ac Reges plura constituerunt mandata, poenaeque sanxerunt in eos, qui clericorum exemptiones frangerent, rati, hisce sacris animadversionibus magis in officio contineri populos, quam aliis quibuslibet humanis mediis, bellicisque instrumentis. Monumenta illius aetatis plane testificantur in Galliis, Hispaniis, Italia, Germania, et Anglia comuni utriusque potestatis consensione, hujusmodi negotia fuisse deliberata.

XIII. Hinc Carolus Magnus Clericos, eorumque bona ab omni praestatione exemit, sicut habetur ex Reginone, illiusque leges a Clodovaeo, Clotario, Childeberto usque ad Valentinum III. servatae fuerunt; lege Thomassinum de Eccl. disc. part. 3. lib. 1. cap. 34. Hinc Urbanus II. in Concilio Melphitano can. 2. sancivit: *ne gravamen aliquod sancta patiatur Ecclesia, nullum jus laicis in Clericos esse volumus. Neque liceat laicis exactionem aliquam pro Ecclesiae beneficiis, aut paternis, maternisque facultatibus quaerere.*

XIV. Hae autem juris Pontificii dispositiones minime Clericis vetabant, quominus, stante justa et rationabili causa, in Regni necessitatibus aliquando muneribus, aliisque poecuniariis adjumentis Principibus subvenirent, quod confirmatum etiam fuit ab Alexandro III. in Concilio III. Lateranensi, in quo postquam cautum fuit, excommunicationis poena, ne clerus importunis exactionibus gravaretur, subjungitur: *nisi Episcopus, et Clerus tantam necessitatem, et*

utilitatem aspexerint, ut absque ulla exceptione ad relevandas communes necessitates, vel utilitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.

XV. Cum autem saepe saepius evenerit, ut sine maxima utilitate, ac necessitate, praestationes hujusmodi plusquam par erat a Clericis rependerentur, Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. hanc concedendi, dandique licentiam Sanctae Sedi reservavit *propter imprudentiam*, inquit Pontifex, *quorumdam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere.* Imo Bonifacius VIII. in constitutione *Clericos Laicos* sub poena excommunicationis, et interdicti Summo Pontifici reservati idipsum confirmavit, quae Bonifacii Constitutio a Benedicto XI. mitigata, et a Clemente V. abolita, denuo renovata fuit a Leone X. in Concilio Lateranensi V. ac demum a Tridentinis Patribus confirmata. Concilium enim Sess. 25. de Reformat. *Decernit, et praecipit, sacros canones, et Concilia Generalia omnia, necnon alias Apostolicas sanctiones in favorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticae, et contra ejus violatores editas (quae omnia etiam praesenti decreto innovat) exacte ab omnibus observari debere.*

XVI. Dantur tamen casus, in quibus etiam Clerici tributa praestare debent. Quatuor istos casus jus Canonicum enumerat. 1. Quando Clericus negotiationem exercet; tunc jure Decretalium *Cap. ex litter. Extrav. lib. 3. tit. 1.*, tributum ex negotiatione praestabit. 2. Quando tributum *aeque primario*, *aeque immediate*, Clericos, laicosque respicit; quod si primario Civitatem, secundario autem Clericos in Civi-

tate manentes respicit, tunc ad tributa minime tenentur; secus enim nullum esset tributum, quod Clerici solvere non deberent. 3. Quando possessio quaedam sit acquisita, vel Clericis concessa cum aliquo onere perpetuo, et invariabili, cum illud: *transit res cum onere suo*, factum sit apud Canonistas et Jurisconsultos jam tritum sermone proverbium. 4. Quando status maxima poecuniae caritate laboret, et necessitas publica hoc exigat, tunc potest Princeps, venia prius a Pontifice Summo petita, Clericorum etiam bonis imponere tributa. Hoc pacto apud nostrates Clericorum, eorumque bonorum immunitates non parum imminutae sunt: vide concordata.

INSTITUTIONUM

JURIS CANONICI

LIBER III.

DE ECCLESIASTICIS JUDICIIS.

Auctoritas a Christo tradita sacris administris regendi ejus populum etiam illam includit judicandi litigia ad res supernas pertinentia, circa quas, uti sibi subjectam materiam versatur. Haec jurisdictio istis deducta terminis, ita naturam societatis a Christo fundatae ingreditur, ut nulla ratione ab ea divelli possit. Verum Ecclesiae gubernatores tractu temporis, praeter nativam acceptam potestatem, aliam etiam exercuerunt, a jure divino pendentem, circa Clericos laicosque in causis tum criminalibus, tum civilibus, cujus initia, progressiones, variamque applicationem, et exercitium summatim explanare aggredior.

CAPUT I.

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA.

I. Potestas illa, qua Ecclesiae Antistites pollent, sive sacra administrent, sive fidei tuendae, fovendaeque disciplinae inserviant, sive mores corrigant, seu denique in facinorosos animadvertant, jurisdictionis nomine continetur. Contra hanc jurisdictionem irrito plane conato debacchati sunt ex veteribus Donatistae, ex recentioribus, praeter Marsilium Patavinum, Lutherus, et Calvinus, qui tantummodo in dirigendo et suadendo Ecclesiae jurisdictionem positam esse existimarunt; ac denique Jansenistae, qui, quamvis jurisdictionem in foro interno agnoverint, omnem tamen in externo foro, atque in infligendis poenis ademerunt. At si paulisper attendamus, quae sacris literis praescripta sint, quae sint perfectae reipublicae leges, quae denique consensu omnium probata fuere, contrarium omnino constabit.

II. Duplex quippe potestas ad Ecclesiam pertinet: prima, quae *fori interni* nuncupatur, et ad retinenda, vel remittenda peccata pertinet, cum nullum peccatum sit, quod Ecclesiae clavibus non subjiciatur. Potestas autem *fori externi* conjunctam habet auctoritatem cogendi omnes qui Ecclesiae legibus parere recusant. Utramque auctoritatem Christus Ecclesiae attribuit. Altera sub illis verbis: *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*; alteram vero hoc pacto expressit: *Data est mihi omnis potestas etc. euntes ergo etc. sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*

III. Sane vero, si nulla societas intelligi potest cujus caput non sit ea potestate instructus quae ad regendam societatem omnino necessaria est, qua fit, ut coactive possit populum sibi creditum in officio continere; si Ecclesia est societas perfecta, sicut alibi fusius demonstravimus, pari auctoritate pollere debet, ut possit finem sibi praestitutum perfectissime assequi. Hanc auctoritatem Christus ipse Ecclesiae attribuit quando jussit, eum qui nollet Ecclesiae judicio subjacere habendum esse tamquam ethnicus, et publicanus. Quae quidem poena maximum coercitionis jus secum ipsa includit, per quam rei criminum atrociorum, pertinaciter in scelere perseverantes, a Christiana societate removentur.

IV. Neque solum in externo foro spiritualibus poenis, sed temporalibus etiam, Christus voluit Ecclesiam suam exercere jurisdictionem. Ipse suo exemplo ementes, et vendentes, nummulariosque flagellis ejecit e templo. Et Ecclesia a suis primordiis, quamvis non semper eadem ratione, non solum verberibus, et jejuniis, vero etiam aliis temporalibus poenis homines ad bonam frugem revocavit. Ita Concilium Agathense can. 38. *Si verborum*, inquit *increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri*; et Gregorius Magnus libr. 11. epist. 72. *Quia ergo tantae nequitiae malum sine digna non debet ultione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri ut eumdem Hilarium, prius Subdiaconatus, quo indignus fungitur, privet officio, atque verberibus publice castigatum, faciat in exilium deportari, ut unius poena multorum possit esse correctio.*

V. Quo in loco habet etiam exilii poenam; nec

praetereundae poenae pecuniariae, quarum mentio est in Concilio Carthaginensi V., can. 2. Sic enim vita hominum comparata est, ut metu poenarum temporalium multi in officio contineantur, multi resipiscant, multi deterreantur ab immaniori scelere. Quod quidem commune habet Ecclesiastica societas cum civili republica; illa quandoque etiam poenarum maximam infligit, quae excommunicatio est; haec autem poenam mortis; et quemadmodum ista varios constituit gradus pro delictorum gravitate, antequam ad gravissimum poenae genus procedit, ita et illa. Habet igitur Ecclesia plenam in suos filios jurisdictionem, eamque in foro non solum interno, verum etiam externo, poenisque etiam temporalibus potest illam plenissime exercere. Quisquis igitur per baptismum inter Ecclesiae filios cooptatus est, is subjici debet in omnibus, quae ab Ecclesiastica potestate jubentur; et si refractarius existat, debet illas amplecti poenas, quas Ecclesia constituit; neque his poenis, quod a quibusdam opponitur, aliquem Ecclesia cogit ad Christianam fidem amplectendam; sed tantum curat, ut qui per baptismum Ecclesiasticae societati nomen dedit, seque suo facto ejus potestati subjecit, castigatione resipiscat, et reliquis exemplo, et impunitate non noceat.

CAPUT II.

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA IN CAUSIS TUM CIVILIBUS, TUM CRIMINALIBUS.

I. Monuit Christus suum gregem, Matthaei 5., et Lucae 6., ut fugeret lites, idque maxime inculcat Paulus 1. ad Corinth. 6., ne fidelis populus incurreret vitia litigantibus communia, declinaretque gentium tri-

bunalia, quae superstitione non carebant. *Audet*, inquit Apostolus, *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud sanctos? Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? quanto magis saecularia. Saecularia quidem judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Praecepit itaque Apostolus Christi cultoribus, ut malint apud aliquem fidelem suas lites deferre, ut sine forensi strepitu tamquam honoratius judex componat, quotiescumque de terrenis fortunis certare velint.

II. Pauli praeceptum sequentes Christi cultores solebant perfugere ad Episcopos, si aliqua lis exoriebatur. Constantinus Magnus imperio potitus, teste Sozomeno, *Lib. 1. Hist. cap. 9.* sua etiam auctoritate probavit sacros Praesules judicis munere fungi, cavitque, eorum judicia rata esse perinde ac si ab Imperatore fuissent pronunciata. Eamdem auctoritatem tribuere populis Arcadius, et Honorius, ac extrinsecam firmitatem addidere Episcoporum judiciis; etiam Valentinianus idem praestitit. Nulla adhuc erat Episcopis in civili causa jurisdictio, cum integrum in foro fori esset fidelibus adire civiles magistratus, et cum sua sponte peterent Praesules, ex utriusque litigantis consensu res litigiosa supponerctur Episcopis. Verum spectata charitas, admirabilisque Antistitum solertia perfecit, ut populi mallent ab Episcopis, quam a saeculari judice de eorum litibus decerni, et Imperatores Theodosius, Valentinianus, Leo, Justinianus, legem tulerint, quibus civilium negotiorum curam, et miserabilium, et imbecillium hominum defensionem Episcopis traderent.

III. Laudabilis haec profecto sollicitudo naturam

germanae jurisdictionis deinceps induit, speciatimque hoc evenit Caroli Magni aetate, qui alterutri altercantium, altero etiam invito, permittit deferre litem ad Episcopum. Hanc legem confictam existimat Gothofredus; eamdem tuentur alii, praesertim Joannes Gender in dissertatione edita Parisiis, et relata inter Hermanni dissertationes, inscripta *Episcopale judicium adversus calumnias Gothofredi*, qua Caroli Magni legem acerrime vindicavit. Jurisdictio deinceps civilis Antistitum altas radices egit, omnesque civiles causae ad Praesulum tribunal allatae. Tandem propter graves Regnorum conversiones, maximasque simultates concitatas saeculo decimotertio, et decimoquarto inter Antistites ac Regnorum Proceres finis per pacta conventa adhibitus est, contrariaque consuetudine civilis Episcoporum jurisdictio inter breves terminos adacta.

IV. Sed praeter jurisdictionem civilem in Laicos, majori jure poterant Episcopi de Clericis disponere. Et revera decet Clericum esse fugitantem litium, abhorrentem ab jurgiis, ait Ambrosius, *Lib. 2. de officiis*, *cap. 21*. Hinc imperatum Episcopis a Synodo quarto Chartaginensi, ut concilient lites clericorum, quibus vetant Chalcedonenses Patres ne lites suas agant apud civiles Magistratus, cum illas finire possint coram Episcopis. Non impediebantur tamen Clerici, si a Laicis in forum civile vocabantur, adire, cum id a Marciano, a Valentiniano III., a Majoriano, a Leone, ab Antemio Imperatoribus praescriptum esset. A jurisdictione Magistratuum in civilibus negotiis Justinianus exemit primum Monachos et Moniales, postea ceteros e Clero, quo liberius possint sacris muneribus defungi. Justiniani Lex pluribus Conci-

liorum decretis, et Principum firmata fuit; qui in plerisque locis decimosecundo saeculo mos inductus est, quo Clericus conveniret Laicum in judicio Ecclesiastico ad vindicandam rem, quam Laicus possidebat. Demum a decimoquarto saeculo imminuta est Clericorum immunitas, et in multis regionibus ad causas tantum personam Clerici afficientes, si clericus sit reus, constringitur.

V. Hactenus dicta jurisdictionem civilem respiciunt, qua Ecclesiastica potestas super Laicos, clericosque pollet; videamus modo quae ad jurisdictionem criminalem pertinent.

VI. Dignitati, ac praestantiae sacrorum officiorum, quibus funguntur sacri Ministri, nec non characteri, quo ornati sunt Clerici, minus conveniens visum est delinquentes Clericos publicis judiciis coerceri. In hac autem immunitate examinanda, oportet animo habere perspectam criminum distinctionem, quae apud Canonistas pariter, ac Juristas invenitur. Partiuntur enim crimina clericorum in civilia, et Ecclesiastica: primi generis sunt ea quae publicam tranquillitatem singulariter commovent, uti homicidium; secunda species ea complectitur, quae proprie adversa cum Religione, et Ecclesiastica disciplina pugnant, veluti haeresis, simonia; est quoque aliud delictorum genus, quod nomine morum indicatur, uti ebrietas, alearum ludus, etc.

VII. Porro Clericos in delictis Ecclesiasticis et morum subductos esse a Magistratuum potestate, explorata res est, et nemini dubium in mentem venit; num vero civilia Ecclesiasticorum crimina essent a laica potius, vel Ecclesiastica auctoritate dijudicanda, recole quae a nobis dicta fuerunt, quando in capitulo de immunitatibus sermo fuit, in quo satis superque de-

monstratum fuit immunitates ipsas in jure divino ac naturali radices habere, quamvis diversimode modificatae fuerint ex Principum constitutiónibus; juverit propterea istas constitutiones paulatim enucleare, ut plenior habeatur cognitio.

VIII. Privilegium fori amplificavit Justinianus ad ipsamet civilia crimina, decernens nullum Episcopum in causa criminali ad judices publicos adducendum; reliquos Clericos, ac Monachos accusatos coram Episcopo, et convictos suo gradu movendos, si fuerint rei civilis culpae, postea tradendos judici civili, ut poenas solvant; quod si prius causa ad judicem civilem delata fuerit, judex monumenta approbantia crimen tradet examinanda Episcopo, qui Clericum conscium culpae deprehendens, ab officio motum, dabit puniendum a judice civili; verum si Episcopus dissentiat a judice, certior fiet Imperator, ut causam agnoscat.

IX. Magis, magisque aucta est immunitas Cleri sub Heraclio et Constantino, atque Alexio Comneno, Imperatoribus Graecis, teste Balsamone in tit. 9. cap. 9. canonis Photii. Saeculo septimo, et sequentibus in occidente dilatata est immunitas ad crimina laesae Majestatis, quae ab Episcopis in Provinciae Conciliis finiebatur. Nec mirum, cum omnia fere crimina, Franchica gens poecuniariis poenis plecteret. Recepta inter populos miti poenarum disciplina, Caroli Magni, et aliorum Regum beneficio, criminosi Clerici exclusi judicibus publicis, Episcoporum judicio permissi sunt, et haec Regum beneficentia in Clerum civili illius aetatis temperationi apprime conveniebat. Non minus liberales sequentes reges fuere; et decimotertio saeculo Fridericus II. Imperator declarat contra Imperiales, et Canonicas sanctiones eum facere, qui Clericum in cri-

minali, vel civili quaestione ad tribunal Laicum vocaverit. Imperatorum, et Regum legibus suas adjunxere Ecclesiastici. Etenim anno 578. Antisiodorensis, et Parisiensis anno 615. edixere nullum e Clero criminis caussa judicandum a Laicis sine scientia Episcopi; deinde omnis criminalis causa Clericorum, paucis gravissimis exceptis, subducta est a foro Laicorum, ut legenti monumenta decimi, atque sequentis saeculi apparebit. Gratiani decretum, et Pontificiae decretales immunitatem firmarunt, quam juris interpretes extenderunt ad crimen laesae Majestatis, cujus reos Ecclesiastico judicio subjectos declarat.

X. Privilegium fori, quo potiebantur Ecclesiastici saeculo decimotertio, extenuare conati sunt Regii Magistratus, quibus strenue obstitere Ecclesiastici; hinc exortae graves concertationes, quibus posterior aetas aliquem modum imposuit, cum atrocia Clericorum crimina statuit judicanda simul a Judice Laico et Ecclesiastico; immo gravissimas hasce culpas, quas privilegiatas vocant, in aliquibus regionibus soli Laici judices definiunt; sed in hisce quaestionibus pactis Conventis, ac consuetudini obtemperandum.

XI. Ut nemo a privilegio excluderetur, inter ordines saeculo decimotertio relata est tonsura, dataque immunitas Clericis nulli Ecclesiae inservientibus, nec habitum tonsuramque gerentibus. Tridentinum Sess. 23. de Reform. cap. 6. concedit privilegium fori Clericis minoribus non conjugatis, beneficio praeditis, aut veste Cleri, et tonsura ornatis, jussu Episcopi Ecclesiae servitio alligatis, sive Seminarium habitantibus, vel in publicis Gymnasiis studentibus, ut quisque intelligere possit, eos suscepturos esse sacros Ordines. Olim Clerici, sive ante, sive post minores Ordines

nupsissent, immunitate fori fruebantur; post saeculum decimumprimum excidere omni privilegio, et repulsi sunt a quolibet beneficio. Humanius in eos egit Bonifacius VIII. statuens, ne propter crimina apud Magistratos Laicos criminaliter, aut civiliter convenirentur, modo unicam, et Virginem ducerent, habitumque, et tonsuram ferrent. Vult praeterea Tridentinum, ut alicui Ecclesiae jussu Episcopi serviant: ex regulis juris Canonici fori privilegio donati sunt regulares, et moniales: istis accensentur alii, qui ad regulares accedunt, uti ex Benedicto XIV. Eremitae ex venia Episcopi religiosum habitum induentes, et Ecclesiae deservientes. Sed de iis, aliisque, loci consuetudo, et pacta inita a Principibus cum Pontifice consideranda sunt.

XII. Jure decretalium, Clerici minores tonsuram ac vestem clericalem non deferentes, non carebant foro Ecclesiastico, nisi ter moniti in suscepto proposito manerent, et in eos sententia ab Episcopo diceretur. Haec omnia praemittenda sunt in Clericos beneficio fruentes ex Innocentio XIII., et Benedicto XIII; ceteri vero ipso facto privilegio carent.

XIII. Liberum vero est Clerico minori, qui ipso jure excidit privilegio fori, ad clericatum redire, etiam invito Episcopo, secundum opinionem pragmaticorum, eoque modo immunitate potitur; dummodo absit fraus, scilicet, nisi revertatur ad Clerum ad declinandum judicem Laicum, apud quem esset civiliter, vel criminaliter conventus. Eodem modo, si per sententiam Ecclesiastici judicis fuerit privilegio expoliatus, opus est venia Episcopi ad pristinum statum repetendum.

XIV. Violatores fori Clericalis excommunicationis

poena plectuntur, et sententia in Clericos lata a Laico nulla censetur. Denique Clerici derelinquentes sacrum institutum, reliquas immunitates, quae sacri officii causa sunt datae, amittere probabile est. Innocentius III., *cap. 12. de foro competenti* statuit, ne Clericus cedere possit privilegio fori, et nisi ex permissu sui Episcopi, in aliud forum Ecclesiasticum consentire non potest.

CAPUT III.

DE FORO COMPETENTI.

I. Forum erat Romanis locus negotiationis, et exercendorum litigiorum, istoque modo apud nos locus in quo Magistratus dicunt jus, forum dicitur, et ubicumque intra suae jurisdictionis fines judicant, forum constituunt. Quare fori origo est jurisdictio Judicis, et qui carent jurisdictione, etiam foro sunt expertes. Quapropter forum competens est illud in quo sedet Judex, qui cognoscendi habet facultatem, et jurisdictionem iu reum.

II. Ut autem intelligamus, quodnam forum Ecclesiae conveniat, observandum in primis est quasdam esse causas, quae directe Religionem respiciunt, praesertim, si juris quaestiones agitentur; si qua de iis rebus exoriatur quaestio, ea solius Ecclesiae judicio definienda est; hinc causae, quae divinum cultum, fidem, sacramenta respiciunt, et quae spectant eorum naturam, formam, ac ritus, ministrorum sacrorum judicio sunt omnino religatae.

III. Porro fidelium matrimonium contractus civilis est; sed cum illi Christus Sacramenti etiam dignita-

tem attribuit, sequitur, quod omnes de illo controversiae sunt ab Ecclesiae judicio internoscendae, atque dijudicandae. Hinc causae de impedimentis, de vi ac firmitate matrimonii, de sponsalibus, de jure divortium instituendi quoad torum, et cohabitationem ad Ecclesiam pertinent. Ceterae vero quaestiones, quae ad illud quidem referuntur, sed tamen res comprehendunt mere temporales ac civiles, uti sunt dotes, donationes propter nuptias, alimenta, haereditariae successiones, aliaeque hujus generis, civilis Magistratus judicio subjiciuntur.

IV. Causae beneficiorum, si de eorum collatione, et qualitatibus Ministri, de privatione beneficii, de beneficiis instituendis, uniendis, partiendis ad Ecclesiasticum attinet judicare ob officium sacrum cum redditibus conjunctum: ast legata pia, et capellaniae Laicales, quae beneficiis non adnumerantur, etiam ad Forum Laicum pertinent, quamvis Episcopus jurisdictionem exerceat in cappellaniae administrum. Alexander III. causas juris patronatus adjudicat Ecclesiasticis, *Capitulo 21.*, cujus sanctio in aliquibus regnis pro Laico patronatu locum non habet.

V. Quaestiones funerariae ad Episcopi forum sunt deferendae. Potestatem civilis potestas sumptibus funebribus, ac pompis modum adhibere, et coram judice laico instituere licet actionem funerariam de solvendis juribus funebribus. Decimarum altercationes vindicant decretales Tribunali Ecclesiastico, sive quaestio versetur circa jus et proprietatem, quod petitorium appellant Jurisconsulti, sive agatur de rei possessione, quod possessorium vocant. Verum Gallis mos erat, nec a Martino VI. improbatus, ut tam in causa decimarum, quam in alia qualibet Ecclesiastica, si de possessione dispute-

tur, lis dijudicetur a Laico Tribunali. Haec consuetudo ab aliis Nationibus approbata fuit, quia cum litigatur de possessione, id quod cadit in controversiam est res facti, ideoque res temporalis. Commendarunt Christiani Imperatores Episcopis causas testamentorum, ut promptius haeredes supremam defuncti voluntatem exequerentur, eaque ex causa plerumque testamenta tradebantur Antistitibus. Ex hoc Ecclesiastici sibi jurisdictionem compararunt, speciatim quando testamenta a notario Ecclesiastico roganda erant. Hoc planum faciunt Decretales Pontificiae, et altercatio inter Clerum et Proceres agitata in conspectu Philippi Valesii. Pedetentim imminuta est haec auctoritas, sublata notariis Ecclesiasticis potestate scribendi testamenta, de quo convenere Principes cum Romana Sede.

VI. Celebris est distinctio criminum in *Ecclesiastica*, *civilia*, *et mixta*. Ecclesiastica flagitia habentur quae directe Religionem pervertunt, uti apostasia, haeresis, schisma, simonia, Sacramentorum profanatio. Civilia laedunt directe rempublicam, uti homicidium, furtum etc. Mixta sunt, quae Religioni, et reipublicae perniciem apportant, et in hoc numero ponunt Jurisconsulti adulterium, concubinatum, sacrilegium, usuram. De Ecclesiasticis criminibus Ecclesiasticus jus dicit, cujus est judicare, an crimen admissum tale sit, et canonicas poenas constituere. Decreta qualitate criminis a Judice Ecclesiastico, et damnato reo secundum canones, ex veteri disciplina, civilis Magistratus convenientes de reo sumebat poenas, et nunc ex jure decretalium deprehensi in haeresi, damnatique a Tribunali Ecclesiastico traduntur Laico, civilibus plectendi poenis. Crimina mixta ab utraque potestate sibi consen-

tanea punitione afficiebantur; postea Ecclesiastici caeperunt hisce reis inferre mulctas civiles, idque permittit Tridentinum Sess. 24. de Reformat. matrimonii cap. 8., quamvis hujusmodi decretum non fuit ubique gentium receptum; eadem ratio est civilium criminum in civilibus, ac mixtis delictis. Ceterum secundum decretales est praeventioni locus inter Judicem Laicum, et Ecclesiasticum.

VII. Inter regulas juris celebris est illa: actor sequitur forum rei; de qua sermonem habeam oportet ob privilegium fori, quo gaudent Ecclesiastici. Cum reus veniat invitus in judicium, apud eum judicem conveniendus est qui eum vocare, et cogere possit.

VIII. Causae spirituales suapte natura pertinent ad Ecclesiasticum; et hoc forum competens est clericis et laicis. In causis vero terrenis, ob privilegium fori, nequeunt citari Ecclesiastici apud Laicum, nisi causa sit excepta, in qua civili foro subjacet. Jam vero reus, sive in Ecclesiasticis, sive in civilibus judiciis quatuor ex causis forum sortitur, nempe ex domicilio, re contracta, situ rei, et maleficio. Praeterea in causis civilibus laici litigantes in alienum, et non proprium Judicem consentire possunt; Ecclesiastici nunquam in Laicum Judicem, sed tantum in alium Judicem Ecclesiasticum ex permissu Episcopi, ne perturbetur jurisdictio. Forum evadit competens ex privilegio, quorum plura abrogavit Tridentinum. Denique forum fit proprium ex continentia causae, quando principali litis capiti alius incurrit articulus, ad quem judicandum Judex directe non habebat cognitionem. Quoniam vero leges ad multiplicationem litigiorum vitandam prohibent absumi causarum contextum, ideo judici principalis

quaestionis fas est incidentem articulum explanare: tales sunt in causis matrimonialibus quaestiones de dote, et largitionibus sponsalium.

IX. In aliquibus causis civilibus, ac criminalibus obnoxios esse Clericos judici civili jam indicavi. Hujus generis primo sunt causae feudorum ex Alexandro III. et Bonifacio VIII., quae instituuntur contra Ecclesiam, vel Monasterium possidens feudum saeculare, cum adjudicari debeant in curia domini directi, qui feudum concessit. Causae de haereditatibus, et fideicomissis in multas nationes receptae sunt apud Laicum judicem, sive Clerici agant, sive controversia exoriatur ex testamenti vitio, aut ambiguis intestatae haereditatis juribus. Pariter Clerici, qui bona sua emptione, aliove oneroso titulo alienarunt, promissa evictione, si inde tamen auctores denuntientur, ut possessores tueantur apud Judicem laicum, actione in reum conventos, carent privilegio fori, et debent litem suscipere in eo tribunali, in quo possessor conventus est. Moribus pariter receptum est, clericos ratione tutelae, aut curatelae, vel alterius officii laici, quod gesserunt, in forum laicum vocari. Eodem modo non juvantur privilegio si rem, de qua apud Judicem laicum mota est lis, qualibet ex causa aquirant. In omnibus profanis causis, si quis post citationem judicis Laici in Clerum fit descriptus, non gaudet foro Ecclesiastico, et persequi debet litem apud eum, qui judicium coeperat ex capitulo 29 de foro competenti. Clericus conveniens Laicum in judicio laico potest laicum ipsum reconvenire in eodem laico tribunali ex decretalibus.

X. Duo hic adnotanda supersunt 1. quaestiones facti, utrum hic sit Clericus, nec ne, multis in locis

disceptat laicus, sed hisce in rebus parendum consuetudini loci, pactisque conventis, si quae Principes cum Romana sede ferierunt. 2. Quae hactenus dicta sunt de criminali judicio non spectant Episcopos criminosos, quorum criminales causae a Judicibus Ecclesiasticis huc usque definitae fuerunt, ut apud omnes populos Christiani nominis constat.

CAPUT IV.

DE JUDICIBUS ORDINARIIS, ET DELEGATIS

I. Decretales Pontificiae partiuntur judices in *ordinarios*, et *delegatos*; illi sunt, qui causa sui officii, vel dignitatis jurisdictionem exercent, uti Romanus Pontifex, Episcopi, Metropolitae: olim Antistites per se utentes sacerdotum consilio, et diaconorum opera judicia ferebant; postea hanc curam magna ex parte tradiderunt archidiaconis, et decanis, atque diuturno usu haec potestas ipsorum propria facta erat decimotertio saeculo; sed postea valde imminuta, speciatim ex Tridentino Sess. 20. de reformat., a quo addictae sunt Episcopis causae matrimoniales, et criminales, aliaeque magni momenti. Judex delegatus is censetur, qui ex alieno mandato jurisdictionem exercet. Illi omnes jurisdictionem mandare possunt, qui propriam habent, veluti Episcopus, Romanusque Pontifex.

II. Post XI. saeculum, cum undique ad Romanam Sedem appellaretur, visum est pernecessarium Pontificibus ad comodius judicandas lites Romam advenientes, seligere viros, qui in litigantium regionibus de altercationibus judicium ferrent; hinc post Alexandrum III. frequentius in decretalibus occurrunt Pontificii delegati, eorumque describuntur munera.

III. Pontificii delegati plenam explicant jurisdictionem, dant Judices, coercitione utuntur, poenas irrogant, sive ad facilius causam explanandam, sive ad sententiam exequendam, puniendosque eamdem impedientes; et ideo post dictam sententiam per annum eorum continuatur jurisdictio, in ipsos Episcopos animadvertere possunt, utpote ampliori donati jurisdictione. Possunt traditam potestatem, sive totam, sive ex parte alteri mandare, nisi personae qualitas electa fuerit. Delegati Pontificii, ex Bonifacio VIII., oportet sint ornati aliqua dignitate vel Personatu, vel Canonicatu Cathedralis Ecclesiae, et ex Tridentino, Sess. 23. de Reformat. Cap. 20., eligendi sunt saltem quatuor in Synodo provinciae, vel Dioecesis, ac proinde, post Tridentinum, si delegati velint alteri committere causam, debent unum Synodalem Delegatum eligere. Ipsemet locus, in quo a delegatis jus dicendum est, fuit decretus, qui non debet abesse a finibus dioecesis rei litigantis, et ultra iter unius diei, ex Bonifacio VIII. Haec sanctio non impedit quin aliquis in Romana Curia rem suam persequi possit. Solae criminales Episcoporum causae, in quibus agitur de eorum gradus privatione, sunt necessario reservatae Pontifici, qui illarum indagationem committit Episcopis provinciae.

IV. Pontifices praescribunt suis delegatis judicandi modum; et agendi formam mandatis includunt, a quibus recedere nequeunt. Sinunt jura delegatum judicem merito suspectum recusare. Permissum quoque a sententia delegati ad delegantem provocare. Pluribus autem modis desinit auctoritas delegati. Primo, re adhuc integra, per mortem delegantis. Secundo, ipsius delegati obitu. Tertio, finito negotio; verum si ad totam causam fiat delegatio, desinit per sententiae execu-

tionem, et idcirco delegati Pontificis jurisdictio protrahitur per annum integrum a dicta sententia. Quarto, temporis lapsu, quo delegatio conclusa est: demum, si delegans avocaverit mandatum, vel delegatus a litigantibus fuerit recusatus, et recusatio admissa. Synodus Tridentina multis in causis reservatis Pontifici constituit Episcopos ipsius Pontificis delegatos.

V. Inter judices ecclesiasticos a multis saeculis recensentur Inquisitores fidei. Episcoporum fuit perpetuum officium curare, ne religio nostra ullis contaminaretur erroribus, et ex Christi institutione Antistites in omnes suae ditionis haeresis reos, suspectosque jurisdictionem exercere possunt, sicut plene exercuerunt usque ad saeculum duodecimum.

VI. In ipso quarto Lateranensi Concilio, quod multa decrevit in haereticos, exhibentur Episcopi veluti primigenii fidei vindices, quos monet Concilium ut diligenter fidei prospiciant. Ea aetate, inter reliquas, serpebat Albigentium haeresis, ad quam extirpandam Innocentius III. misit ad urbem Tolosam Petrum de Castronovo, Rodulphum, et Arnoldum Cistercienses, Pontificia auctoritate fretos, quibus res non bene successit; inde expedivit Didacum, Oxomensem Episcopum, et S. Dominicum, Oxomensem Canonicum, postea celeberrimi instituti fundatorem, cujus sodales ab ipsa origine pro inquirendis haereticis in Episcoporum adjumentum sunt destinati, sed in illis initiis voce, et scriptis, non autem jurisdictione haereticos oppugnabant. Federicus II. Imp., anno 1224., duplici lata lege, haeresim accensuit publicis criminibus, ejusque reos pertinaces, et ab Ecclesia judicatos, supremo igneo supplicio damnavit, supposuitque omnibus poenis quas incurrunt rei perduellio-

nis, et praecepit magistratibus ut omnibus modis tuerentur, atque juvarent inquisitores fidei. Gregorius vero IX., an. 1229., praeside Romano diacono Cardinali, habuit Tolose Concilium, quod sexdecim capita edixit in haereticos, ab eoque tributa etiam fuit Episcopis inquirendi, et puniendi potestas. Verum triennio post, praeter Episcopos, Dominicanis etiam inquirendi officium, et auctoritatem per illas regiones dedit, quibus collegas ex Ordine minorum adjunxit. Innocentius IV. Federici Imperatoris leges firmavit, publicavitque decretum anno 1252. ex triginta articulis constans, quo explicat munus inquisitoris, eique a magistratibus obediendum imperat, constituitque Dominicanos, et Fratres minores fidei inquisitores. Hanc constitutionem septennio elapso mitigavit, sicque delinitam approbavit Clemens IV., institutis inquisitoribus, qui Pontificia auctoritate procurant fidei negotium, nec est adempta Episcopis primigenia inquirendi auctoritas, iisque tantum praescriptum ut cum Inquisitoribus agant conjunctis viribus. Denique jussum est a Bonifacio VIII. ut stabilitam pro fidei causa judiciorum formam sequantur. Principio Inquisitores unum crimen haeresis persequi debebant, ex Alexandro IV. *in capitul. 8. de haereticis in sesto*; deinceps ad blasphemias, sortilegia, divinationes, aliasque id genus, illorum jurisdictio, protracta est. Inquisitores habent suos Ministros, eorumque judicandi modus a comunibus, usitatisque formulis differt, quia agitur de delicto enormi. Inquisitores sententiam ferunt in reos, statutisque condemnant poenis.

VII. Post receptam in aliis locis Inquisitionem, nullum Romae speciale tribunal erat institutum ad haeresis causas agendas, illasque judicabat Pontifex, adsci-

tis quos volebat ministris; orta Lutheri haeresi, Paulus III., anno 1542, Congregationem Sancti officii stabilivit, et delectos Cardinales judices constituit, collata summa auctoritate cognoscendi de haeresi, similibusque criminibus, eligendi inquisitores, eisque praescribendi normam officii. Pius IV., et V. illam ratam habuerunt, et exornarunt. Sixtus V. Congregationem Sancti Officii anteponendam declarat aliis quindecim Cardinalium Congregationibus. Sed de hac Congregatione, aliisque praecipuis in Isagogica dissertatione satis diximus.

CAPUT V.

DE ARBITRIS.

I. Arbitrorum nomine significantur extraordinarii judices ad finiendas lites ex litigantium voluntate electi, sive illa electio ex sola dissidentium voluntate fiat, sive ex juris deliberatione. Arbitri dicuntur etiam *compromissarii*, quia ex litigantium pactione seliguntur, altercantesque spondent, se non recessuros a sententia arbitri. Jus civile decernit poenam in recedentes, et decretales permittunt jusjurandum. Quicumque rerum suarum liberam gerunt administrationem in arbitros consentire possunt. Omnes qui judicis munere fungi non vetantur etiam arbitri officium obire possunt. Unum, vel plures arbitros deligere licet sine clausula, vel ea adjecta, uti si unus absit, reliqui judicium prosequantur; verum ad eas tantum causas judicandas arbitris uti licet quae privata cognitione componi possunt, non ad eas, quae a jurisdictione dependent, aut jus publicum spectant, uti restitutio in

integrum, causae matrimoniales, vel causae criminales. Arbitrer negotium ad exitum perducere, et sententiam dicere debet, nisi aliud gravis causa suadeat.

II. Arbitri, cum jurisdictione careant, omnis eorum auctoritas ex voluntate litigantium fluit, et quamquam in hoc casu non detur actio judicati, attamen stare judicio promissores tenentur. Verum permittitur arbitrium boni viri. Desinit arbitrorum potestas lite judicata: similiter per mortem arbitrorum, vel litigantium, aut alterutrius, si praescriptum elabatur tempus, si pereat res litigiosa, vel aliquis litigantium causam temere adjudicet. Hactenus dicta conveniunt arbitris voluntariis; nam arbitri juris, seu illi, qui ex praescripto legis in aliquibus causis adhibendi sunt, quia sunt a Principe stabiliti, veram jurisdictionem habent, et solum nomine differunt a Judicibus, eorumque sententia rei judicatae auctoritatem continet.

CAPUT VI.

DE JUDICIORUM ORDINE.

I. Leges in Republica, et Canones in Ecclesia essent nullius utilitatis si in judiciis ad dirimendas controversias non adhiberentur. Definitur judicium: legitima discussio inter actorem, et reum apud convenientem judicem litis finiendae causa. Judicia alia sunt *Ecclesiastica*, et aguntur in foro Ecclesiae, alia *saecularia*, et apud Laicos Magistratus disceptantur, alia *civilia*, et privatam utilitatem spectant; alia *criminalia* demum ad violatae publicae disciplinae relationem referuntur. Judicium dividitur etiam in *petitorium*, et *possessorium*: in primo agitur de proprietate, et de ju-

re seorsum a possessione, alterum circa rei possessionem versatur. In judiciis exercendis, si statutae omnes formulae adhibentur, dicitur judicium *ordinarium*; si aliquae minoris praetii praetereuntur, *summarium* nominatur. Consueverunt Patres, causas ad religionem attinentes ex divinis litteris, et traditione judicare; civiles vero Ecclesiasticorum lites spectantes res terrenas vel secundum leges Imperatorum, vel regias: quin et ipsa criminalia judicia ad normam civilis imperii exercebant. Post decimum saeculum multa in Conciliis, et Pontificiis decretis cauta sunt de civilibus Clericorum causis: et cum duodecimo saeculo Ecclesiastici in jure Romano essent versati, inde quamplurima Pontifices deprompsere ad judicia Ecclesiastica agitanda, et negotia decidenda; haec Pontificia responsa inclusa decretalium collectionibus praebuere materiam Gregorio IX., aliisque Pontificibus praefiniendi formam Ecclesiasticorum judiciorum, quorum brevem vobis expono descriptionem, exordiens a civilibus.

II. Inchoatur judicium civile a citatione, per quam competitor in lite vocatus coram Magistratum, juris experiendi causa, sistat oportet. Decernitur citatio a judice ad postulationem actoris, quae in libello, vulgo *instantia*, cum civiliter agitur, continetur. Oportet autem libellum esse olarum, certum, aptum ad instruendum reum de causa, ob quam in jus trahitur, et coram quo judice, in quem locum, et tempus. Citatio per publicum Ministrum significata reo, ipsum cogit ad tractandam litem in conspectu judicis, qui vocavit in jus. Citatio delegati judicis jurisdictionem perpetuat, rumpit praescriptionem, et facit litem pendere; judici legitime vocanti, si citatus reus non pareat, in-

currit contumaciam, et in contumaces plures sunt statutae poenae; proposita vero ab actore, editaque actione, si reus contendere velit, potest sese tueri allata exceptione, per quam, vel differat litem, vel actionem actoris omnino perimit. In jure Ecclesiastico celebris est *exceptio excommunicationis*, atque *spolii*. Actor exceptioni rei occurrit replicatione, seu confirmando actionem. Non solum licet reo uti in sui defensionem exceptione, verum etiam reconventione, seu mutua petitione, quae intendenda est apud judicem petitionis, idest apud illum, penes quem actio instituta est. In aliquibus causis non est locus reconventioni. Propositis exceptionibus, iisque excussis, venitur ad constitutionem litis, eaque fit per positiones, petitionem nempe, et responsum. Contestatio reddit dubiam possessionem rei litigiosae, interrumpit usucapionem, et praescriptionem, incipiunt fructus deberi adversario, praecidit exceptiones dilatorias, adimitque potestatem judicis recusandi, et actio perpetua fit. Ad cavendos dolos adhibetur in judiciis *jusjurandum de calumnia vitanda*; per hoc jurant litigantes se agere ex bona fide; hoc juramentum generale est, et totam causam comprehendit, nec opus est illud in singulis judicii actibus iterari. Ex jure civili juramentum pertinet ad ordinem judicii; tale non reputatur a Pontificio jure. Illud indicit judex, et ab eo praebendo, ex Marciani, et Henrici II. privilegio, exempti sunt Ecclesiastici; hoc probavit Honorius III. qui, ex superiorum permissu, concedit Clericis jurare; possunt tamen Clerici aliorum opera jurare. Jurare licet in omnibus causis in quibus probationes requiruntur. Post contestatam litem jurandum est, sed jus Pontificium permittit juramentum in qualibet litis par-

te. Lite contestata, et partibus litigantibus juratis, fit gradus ad probationes ut Judex, agnita veritate, sententiam ferre possit. Probationes aliae sunt *perfectae* et plenae, aliae *imperfectae* et manchae; illae veritatem manifestam faciunt, istae non omnem dubitationem auferunt. Probanda autem est quaestio facti litigiosi, et reliqua, quae ad causam, ejusque statum pertinent. Jam vero probandi onus impositum est illi litigantium parti quae asserit, et proponit quaestionem facti dubiam, cui tamen, tamquam fundamento, innititur petitio, et conclusio.

III. Probationes judiciales constant ex libera alterius partis confessione, testibus duobus, vel tribus doneis, ac juratis, et a Judice vocatis, jurejurando, praesumptionibus, et inspectione oculari. Probationes adducendae sunt intra tempus a judice praestitutum, et intra illud sunt testes producendi; ac demum judici exhibendi sunt articuli seu praecipua facta ex petitione deducta. Testibus examinatis, aliisque monumentis adductis; et communicatis litiganti parti, si contendentes cedant ulteriori inquisitioni, declarat judex causam satis instructam esse, idque unum superesse ut sententia proferatur. De judiciis summariis, cum sola solemnitate differant ab ordinariis, verba non facio, et de illis legenda *Clementina, saepe, de verbor. significat.* Haec autem judicii forma adhibetur in causis quae dilationem non patiuntur.

IV. Nunc ad judicia criminalia describenda me confero, et primo de veteri judicandi forma, postea de illa a decretalibus praescripta. Ordo judicialis criminalis, per plura saecula, demptis aliquibus ritibus, fuit in Ecclesia idem ac ille, qui jure Romano obtinebat. Principio erat necessaria accusatio, eaque

consignata litteris, exhibenda erat ab accusatore, Episcopo, vel Synodo. Si vero crimina publica fuissent, aut criminosi faterentur suum flagitium, et indicarent Ecclesiae, sine accusatore judicium inchoabatur. Multam cautionem adhibebant veteres ut cognoscerent, qualis esse accusator, et an delatio esset admittenda: hinc accusator asseverare debebat, se perseverare in accusatione usque ad sententiam, et semetipsum subjicere poenae talionis. Citabantur rei in judicio ter, ac etiam quatuor vicibus, nec unquam personae prehensio decernebatur. Reum per se judicio adesse oportebat, nec procurator sine urgenti causa admittebatur: reus vocatus in jus, et non obediens, pertinax habebatur, et damnabatur, si opus fuerit. Ceterum non rejiciebantur excusationes. Reo praesente, aut in contumacia absente, instituebatur judicium, et producebantur duo, vel tres idonei testes, afferebanturque instrumenta, et gravia indicia. Reus praesens interrogabatur, respondebat, audiebat testes, inspiciebat monumenta accusationis, atque refutandi libertate utebatur.

V. Re agitata, ferebatur sententia, evulgabatur, et absenti significabatur per litteras. Omnia haec acta, diligentissimi selecti viri consignabant litteris, et in Archiviis asservabantur. Ex simplici judicandi modo, quem tenebant veteres, plane intelligitur illorum judiciorum stabilitas, ut utilitas. Verum pedetentim, ritibus, ac formulis multiplicatis, principio in causis criminalibus, si crimen perspicuum non esset, atque evidenter demonstratum, compellebatur reus jurare, ad se omnino purgandum, idque ut solemnius fieret, adducebatur ad Martyrum sepulcrum sanctorumque reliquias, quibus occulta detegendi, et adigendi reos

ad secreta patefacienda, religionis ergo, inesse jure merito opinabantur quamdam arcanam vim. Quarto saeculo invecta est haec opinio, et primum huic legi subjecti sunt Laici, deinde Ecclesiastici, istumque morem probavit etiam Gregorius Magnus: adjuncti postea sunt testes affirmantes sibi videri verum juratum esse. Altera purgationis species in eo sita erat quod de crimine suspectus, Eucharistiam sumere cogebatur.

VI. Praeter purgationes ab Ecclesia probatas erant etiam aliae vulgares, nempe duelli, ferri candentis, aquae calidae, et frigidae. Verum a saeculo decimo-secundo, et sequentibus extirpatae sunt vulgares purgationes, et ingens testium numerus, quem Ecclesiasticis, ad se purgandum, praeceperat Leo IV. intra aequitatis terminos contractus, agentibus speciatim Alexandro, Innocentio, et Honorio tertiis, ex quorum decretis contexta est nostrae aetatis Ecclesiasticorum judiciorum criminalium rectissima conformatio.

VII. Secundum decretales, criminalia judicia instituuntur accusatione, denunciatione, inquisitione. Accusatio est alieni criminis apud consentaneum judicem in publicam ultionem delatio, et quidem litteris consignata, in quibus est scribendum judicis, accusatoris, et accusati nomen, et crimen distincte exponendum, debetque accusator polliceri se judicium ad exitum deducturum, et tallionis poenam subiturum, si crimen non demonstret. Prohibentur autem accusatoris munus obire quotquot in suspicionem merito cadunt malo animo, aut imbecillitate mentis posse permoveri ad accusandum; extra hunc casum, ad se tuendum omnibus licet perfugere ad judicem, et deferre hostem. Promotores, seu fiscales ex officio, praemissa criminis inquisitione, accusant ob publicum comodum.

VIII. Denunciatio ea est qua latentes criminosi deferuntur ad Antistitem ut illos admoneat, revocetque a vitiis; hinc secreto, et sine solemnitatibus, quae in accusatione requiruntur, res tota peragebatur, et judicabatur. Modo denunciatio sternit viam ad inquirendum, et judicium inchoandum. Etenim Ecclesiasticus Judex, sine ulla accusatione, de admisso crimine inquirere potest, et perspicere, num qui per publicam famam insimulatur sit reus. Ex decretalibus, judicium per inquisitionem incoeptum extraordinarium est, mitiusque rei deprehensi plectuntur.

IX. Inquisitio est tertius modus quo ex Pontificiis decretis judicia criminalia instituuntur. Judex enim, sine ullo accusatore, ex officio investigat an crimen sit admissum, et an ille quem pervagata fama fert, sit auctor flagitii. Ex jure Pontificio, criminale judicium per inquisitionem susceptum extraordinarium est, deprehensique rei minori subsunt poenae. Corrupti Clericorum mores pepererunt hanc judiciariam formam, ignotam veteribus, qui neminem damnabant sine accusatore, nisi crimen foret publicum, vel reus fassus esset. Eam statuit Innocentius III., quia nullus ob discrimen subscriptionis volebat accusatoris officium obire. Verum hodie judicialis inquisitio, cum illam etiam publici accusatores permittant, est ordinaria, et hic procedendi modus extraordinarius non censetur.

X. Sive ex accusatione, vel delatione, aut constanti fama intelligat Judex crimen commissum, statim investiget oportet num vere crimen actum sit, et a quo admissum; post hanc investigationem est Judicis decernere, an reus sit citandus, et in carcerem conjiciendus.

XI. Si absit fugae metus, nec agatur de atrociori

crimine, praehentio facile non est deliberanda, praesertim in Ecclesiasticos, sed citantur in jus, aut fidejussio est exposcenda. Verumtamen quisquis in manifesto delicto deprehenditur capi potest. Quoties Judex putat reum non esse praehendendum, citatur reus. Citatio alia est *personalis*, alia *simplex*. Per primam reus ante Judicem per semetipsum vi publica cogitur sistere, idque evenit si crimen semiplene probatum sit, poenaque corporis gravior relegatione sit inferenda, et tunc reus in custodiam traditur. Pariter in levioribus delictis plene probatis est locus personali citationi. Simplex citatio est si accusatus non vi publica vocatur in judicium ad deponendum, adhibeturque hujusmodi citatio in gravioribus criminibus non omnino probatis, vel in factis ambiguis.

XII. Nisi reus adfuerit Tribunali intra statutos dies, et interim excusetur, incidit in contumaciam, et in jure Ecclesiastico, perinde ac praesens esset, si opus fuerit, damnatur; reus in judicio constitutus subjicitur examini, et juramento ab eo exacto de vero dicendo. Interrogatis, ac postulatis sine mora respondere debet, Judexque attendere, an in responsis sibi convenientibus vacillet, et trepidet. Si reus crimen neget, et graviora in eum indicia cadant, mendacii arguitur, detegendo, et exprobrando quae in eum faciunt.

XIII. Absoluto examine, solemniter lis contestatur inter fiscum, et reum, cum ille conscium esse criminis asserat, hic se innocentem affirmet; lite contestata, testes in praeviis inquisitionibus auditi, iterum examinantur, et integro dicto a testibus testimonio patet aditum reo ad defensionem, eique acta criminationis traduntur ut diluat, audito in suis defensionibus reo, qui crimen se admisisse negat; si adhuc graves

praesumptiones ei adversentur, in laico foro ad questionem et cruciatus venire solitum est. Ab utrisque abhorruit Ecclesia usque ad Alexandrum III., ex cujus male intellecta responsione Jurisconsulti invexerunt questionem in forum sacrum. Quidquid reus dum torquetur, excruciaturque affirmaverit nullo habetur in pretio, nisi ratum habeat extra tormenta; verumtamen, si reus fortiter questionem sustineat, atque crimen pernegaverit, liberandum esse vulgata opinio est; attamen monent jurisperiti reum minime torquendum quando presto sint argumenta, quae simul collecta negantem reum plane convincunt, illudque ordinaria, non vero extraordinaria poena afficiendum censent.

XIV. Causa perorata, ferenda est ab judice sententia: sententia alia *definitiva* appellatur, quae praecipuam controversiam perimit, alia *interlocutoria* dicitur, et incidentes articulos definit, ordinemque judicii statuit; oportet judicem tradere scriptis sententiam definitivam, ferre secundum leges, allegata, et probata; sedere in tribunali, atque pronunciare: sententia definitiva generalis esse debet, totam disputationem decidens, comprehendens sumptus litis, et fructus restituendos.

XV. Non licet judici sententiam definitivam revocare, quod in interloquutoria permittitur. A sententia definitiva lata, et publicata, nisi intra decem dierum spatium fuerit provocatum, ipsa transit in rem judicatam, ita ut sententia exequi liceat: nihilominus sunt aliquae definitivae sententiae quae, etiam nulla interposita appellatione, non transeunt in rem judicatam: hujusmodi sunt quae probatae sunt perspicue contra leges, vel latae ab Judice carente jurisdictione. Ceterum sententiam definitivam, quae in rem judica-

tam abiit solus supremus princeps rescindere potest Semel autem ac in rem judicatam migravit sententia definitiva, ipsam oportet adduci ad exitum, et quidem, auxiliante eodem judice, qui sententiam pronunciavit, si adhuc ejus jurisdictio perduret. Sententiae vero interloquutoriae, cum sint jussa ac mandata judicis, non transeunt in rem judicatam, nisi articulus incidens esset, maxime conjunctus cum praecipuae controversiae capite, et ab illius definitione hujus decisio penderet: ita vetus disciplina ferebat omnino consentanea antiquae jurisprudentiae Romanae; quam mutavit Justinianus, et hunc sequutae sunt decretales.

XVI. Rei judicatae auctoritas fit anceps per appellationem, per quam a judice inferiori transfertur causa ad superiorem, ut illam excutiat, et latam sententiam corrigat. Secundum Decretales appellatio dividitur *in judicialem*, quae interponitur adversus actum judicialem, et illam dictam *extrajudicialem*, qua provocatur a damno per privatos, vel per judices extra judicium illato, vel inferendo. Quid antiqua Ecclesiae disciplina de appellationibus determinasset alias exposui. Saeculo decimo et sequentibus ob frequentia bella, aliasve calamitates, Conciliis provincialibus prope obliteratis, majores causae Episcoporum fuerunt omnino Pontifici reservatae, et inferiorum Clericorum ad Romanam sedem provocationes facile recoeptae. Olim a judiciis Episcoporum non licebat facile appellare; sed tricis adjectis, ac multiplicatis, ab Episcoporum sententiis in causis civilibus appellatur; quin immo Pontificiae decretales non tantum sinunt provocare a sententia definitiva, verum etiam a qualibet interloquutoria, quod de interloquutionibus vetat jus Romanum, idque tantummodo permittit ex sen-

tentia interpretum si incidens articulus sit omnino cum principali causa colligatus, aut grave et irreparabile damnum inferretur: quare Tridentinum, Sess. 24. de Reformat. Cap. 20., ut multiplicibus litigiis aliquem modum adhiberet, decrevit, ne appellationes interpositae ab ordinariis, et a quibuscumque superioribus reciperentur, nisi a definitiva, vel definitivae vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari non posset.

XVII. Differt appellatio a definitiva ab appellatione interloquutoriae. Per illam suspenditur jurisdictio judicis a quo provocatur, et causa ad superiorem devolvitur. Praeterea appellans a definitiva causam peculiarem provocationis exprimere non debet, quia Judex immutare vetatur definitivam sententiam. Secundo nuda voce, ac verbo appellari sinitur a definitiva; tertio appellans a definitiva alias rationes non expressas in primo judicio, et alia monumenta adducere in appellationis judicio potest: haec omnia locum non habent in appellatione interloquutionis. Omnibus, quorum interest sententiam latam non esse secundum justitiae leges, provocare conceditur; et quidem a definitiva sententia, si illico interjiciatur provocatio, appellatur scripto, aut verbis; alias adhibendus libellus, declarans nomen appellantis, et a qua sententia appellatur. Libello semper interponenda est appellatio ab interloquutione, et gravamen indicandum.

XVIII. Tempus datum ad appellandum vocatur *fatales* dies, et in quatuor spatia dividitur. Primum continet intervallum ad appellandum, et constat decem diebus: aliud comprehendit tempus petendi *apostolos*, seu literas datas a judice, a quo appellatur, significantes judici superiori esse provocatum, et petendae sunt intra triginta dies a lata sententia. Tertium tempus spectat

introductionem causae ad superiorem, quod tempus est definiendum a judice, unde appellatus postremum respicit tempus quo finiendum est judicium appellationis, idque concluditur anno, vel biennio. Generaliter appellatio jure interposita suspendit jurisdictionem judicis primae instantiae. Verum appellatio a sententia excomunicationis, suspensionis, interdicti, et in causis emendationis, et correctionis morum non suspendit, sed solum devolvit. Sed una eademque causa, semel et iterum, non tertio appellare fas est. Sane appellatio indicenda est gradatim ab inferiore judice ad eum, qui proxime est superior, et ejusdem jurisdictionis. Solummodo ad Romanum Pontificem, ejusque legatum, omissis judicibus intermediis, permittuntur appellationes. A sententiis judicum, quae sunt ipso jure nullae et inanes superfluum est appellare; in aliquibus vero causis non admittitur appellatio; idque evenit si intelligatur ad tergiversandum dumtaxat appellari.

XIX. Restat ut agam de restitutione in integrum, extraordinario plane remedio, quod leges impartiuntur cum ordinaria desunt auxilia. Sunt enim aliqui actus rati ac firmi secundum fori formulas, de quibus expostulari potest ab iis, qui sibi damnum illatum putant, ac uti extraordinariis subsidiis: talis est restitutio in integrum, per quam qui causa cecidit redintegratur: restitutio in integrum conceditur si graves rationes hoc exposcant, ob quas solum licet irritare negotia secundum jus stabilita. Sex enumerantur causae, in quibus est permissa restitutio in integrum, et sunt *metus*, *dolus*, *status mutatio*, *absentia* ob *reipublicae bonum*, *aliamve justam rationem*, *alienatio gratia mutandi domicilii*, *et aetas imbecilla*. Minores atatee in jure Romano ii habentur, qui vigesi-

minimquintum annum non expleverunt. Ad hos defendendos restitutio in integrum praecipue est instituta, illisque conceditur, si fraude alterius, vel imbecillitate, suaque imprudentia damnum perceperint in negotiis actis in judicio, aut extra judicium; cessat vero restitutio in integrum in judiciis criminalibus, vel si majores facti habuerint ratum quod in minori aetate erat gestum; praeterea non datur restitutio minori adversus minorem in pari causa, aut si restitutio petita fuerit, et postulatio sit rejecta.

XX. Ab judice conceditur restitutio in integrum, cognita causa, idque ut perspiciatur num petens potiatur privilegio, an causa sit idonea, an alias expetierit, fueritque repulsus. Beneficio restitutionis in integrum largiuntur ordinarii judices, qui administrationem, et jurisdictionem plenam exercent. Intra quadriennium a damno percepto postulanda est restitutio in integrum, nisi gravis causa aliud suadeat; verum, statuto spatio elapso, non conceditur. Respublica, et Ecclesia, aliaque loca pia privilegio restitutionis in integrum gaudent. Effectus restitutionis in integrum postulatae est ut omnia in suo statu maneant donec cognitio finiatur, impeditur sententiae executio; impetrata restitutione, omnia revocantur in pristinum statum, et quisque recuperat quae sua sunt.

CAPUT VII.

DE CRIMINIBUS ECCLESIASTICIS.

I. De criminum distinctione verba cum fecerim, ad Ecclesiastica crimina, quae propria sunt Juris Canonici, quia ex ejus regulis aestimantur, ac definiuntur,

explicanda, animum adjungo. Apostasia inter gravissima crimina Ecclesiastica refertur. Est autem Apostasia defectio a Christi religione, quam in Baptismate aliquis professus est, et in hoc crimen incurritur a desertore, sive aliam falsam, sive nullam religionem susceperit. Ex veteri disciplina duplex est apostatarum genus, alii scilicet sponte, et laetantes deserebant Christi cultum, alii poenarum metu adacti Christi cultum relinquebant; hinc frequens in antiquis trium priorum saeculorum monumentis occurrit mentio thurificantium, et sacrificantium, et libellaticorum; falsorum numinum cultoribus, ex veterum sententia accedebant qui falsorum numinum cultui praestabant operam suis opificiis, aliove modo.

II. Ecclesia in apostatas severius egit, et praesertim si idololatriae rei fuissent; ante Cypriani aetatem Idolorum cultores simul ab Ecclesia Romana, Hispana, Africana non solum ejecti sunt a Fidelium coetu, verum etiam nonnisi post severissimam poenitentiam absolutio eis impertiebatur; aetate Cypriani remissum aliquid de tanta severitate: gravibus tamen, asperisque laboribus hujusmodi criminosi subjecti sunt, ac venia iisdem data. Theodosio Magno imperante, apostasia inter publica civilia flagitia recensita est, et adempta desertoribus testandi, vel capiendi ex testamentis facultas, privati etiam donandi auctoritate, notati perpetua infamia; atque si servum vel ingenuum a Christi religione abduxissent, capite damnati. In praesens apostatis a religione eaedem ac interdum graviores irrogantur poenae, quae in reos haeresis decretae sunt in Ecclesiastico, ac civili foro.

III. Extat et alia apostasiae species, in quam labitur ille qui ab Ordine Sacro, vel Regulari Instituto

quod professus est, deficit. Desertores Sacri Ordinis quondam aestimabantur omnes Clerici, qui deserebant Ecclesiam, cui perpetuo ad serviendum per susceptum ordinem erant alligati. Hos anathemate percussos testatur Chalcedonense Concilium, nisi ad sanctum propositum revertantur, illosque Curiae, vel Collegio suae Civitatis addicunt Arcadius et Honorius, Justinianus vero adjudicat desertae Ecclesiae bona, quibus potiebatur Clericus desertor.

IV. Desiit haec disciplina decimo saeculo, quo auctus est Clericorum numerus, et cum minorum Ordinum officia ferme obliterata forent, desertio minoris Clerici impunis fuit, et perpetua stabilitas tantum imposita majoribus Clericis, qui si vestem, et tonsuram Ecclesiasticam exuant, ac tamquam Laici conversentur, amittunt privilegium fori, fiuntque inepti ad dignitates et honores, ac erunt irregulares, si nuptias agant, atque anathemati subsunt.

V. Apostata a Monachatu est qui institutum ab eo susceptum, solemnibus nuncupatis votis relinquit, deliberatque nunquam rediturum. Deficientes Monachos anathemate ferit vetus ac nova disciplina, et ad poenitendum includit monasterio, vetatque transfugam ne perceptos Ordines defectionis tempore unquam exerceat. Edixit Justinianus Monachos propositum derelinquentes restituendos esse Monasterio.

VI. Haeresis, Graecum nomen, sectam significat, et ad rem nostram describi sic potest: error in rebus fidei, quo homo sciens, et prudens doctrinam, quam Ecclesia tenet, ac fidelibus credendam proponit, pertinaciter rejicit, novamquae effingit: tria ergo ad haeresim concurrunt, primo error scilicet in fidei materia, secundo doctrina quae improbatur judicata sit

ab Ecclesia fidei dogma, postremo necessaria etiam est pertinacia in eo qui adversatur doctrinae Ecclesiae. Non omnes qui pugnaciter errant in fide, haeretici sunt aestimandi, sed ii tantum, qui baptismo consecrati, et in Ecclesiam recepti, ejus de fide judiciis obedire recusant. Haeresis, cum sit enorme crimen, nullius tanti flagitii reus, ejusque causa puniendus in foro externo reputatur, nisi clare, ac plene crimen probetur. Graves poenas in haeresim sancivit sacra, ac civilis potestas; semper tamen Ecclesia haereticos expulit a suo regno ne alios afficerent contagione. Praeterea Ecclesiastici haeretici expoliantur omni officio ac honore sacro, generatimque omnes haeretici a quolibet sacro officio arceutur.

VII. Jure decretalium haeretici, eorumque auxiliatores sunt alieni a Canone, et illorum soboles in paterna linea usque ad secundum gradum, in materna usque ad primum repellitur a quolibet beneficio, si parentes fuisse haereticos demonstretur, vel in haeresi decesserint, nec erroris poenituerint. Plures, et variae poenae stabilitae sunt in haereticos a Romano civili jure, quod alios mitius, alios severius ex gravitate haeresis, et haereticorum pertinacia condemnat. Generaliter tamen haec habet: haereticorum infantes a civium numero removet, ad testandum ineptos judicat, et jus recipiendae haereditatis adimit, illorum bona fisco attribuit, quin etiam haereticorum plures prohibentur donare, et donationes percipere, cum plures etiam sint suppositi pecuniariae mulctæ, exilio, verberibusque damnati, atque a commercio civili exclusi. Hæc constant ex Codice Theodosiano, et Justinianeo, in quibus nulla Lex extat quae generaliter poena capitis plectat haereticos. Nominatim tamen aliqui haeretici ultimo supplicio erant

obnoxii, tantamquae poenam decrevit Constantinus in eos qui Arii libros occultassent, Theodosius Magnus in Montanistas, Arcadius in Procuratores possessionum, ad quas se recipiebant Montanistae ad turpia, ac infanda mysteria celebranda, Justinianus in rebaptizantes, et rebaptizatos. Decimo saeculo Albigenses, et Valdenses, necnon Cathari dicti, qui Romanam Ecclesiam Synagogam, et Basilicam diaboli appellabant, et in multis errabant a fide, potuerunt impellere Fredericum II. Imperatorem, qui cum Honorio III. Pontifice pacem inierat, ut generaliter ediceret anno 1224., haereticos morte damnandos, et igne comburendos, postquam de haeresi in judicio Ecclesiastico fuissent convicti. Quod autem ad rem Ecclesiasticam pertinet, publicos haereticos, quos ipso jure in excommunicationem incurisse patet, solus Pontifex absolvit; ab occulta vero haeresi, etiam Episcopi ex Tridentino, Sess. 2. Cap. 6. Quod si haereticus nominatim ut talis declaretur, vel aliquis violentas manus in Clericum injecerit, excommunicationem majorem, et vitandi notam incurrit. Audiatur Canon decimus quintus Concilii II. Lateranensis, sub Innocentio II. *Si quis, suadente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathemati vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui praesentetur, et ejus mandatum suscipiat.*

VIII. Schisma, graeca vox, indicat divisionem, et secundum jura, Sanctosque Patres, schisma est separatio a comunione Ecclesiae Catholicae; differt schisma ab haeresi; quod haeresis frangit vinculum unitatis falsis, novisque doctrinis; schisma dissociat conjun-

ctos fideles, eosque ad contemnendos Antistites inducit. Ecclesia eisdem prope poenis punit conscios schismatis ac haeresis, quia temporis cursu schisma, quod principio nullam haeresim includebat, errores comprehendit.

IX. Rerum spiritualium nundinationes semper horruerunt Patres, qui memores divini dicti *gratis accepistis*, *gratis date*, prorsus simoniae vitium prospicere voluerunt, eoque contactos, gravissimis damnarunt poenis. Tripliciter hac in re peccatur. Primo si rebus terrenis conjunctas spirituales, et prorsus illis haerentes studeas tibi comparare; secundo si laudes, preces, comendationes eo praecipue fine adhibeas ut beneficium consequaris; tertio obsequium exhibeas principaliter ad obtinendum beneficium, veluti instituas filios, eosque scientia imbuas sine stipendio ob adipiscendum beneficium. Pactum quod initur, vel apertum, et conspicuum, vel implicitum est. Quoties quis paciscitur rem terrenam pro spirituali, et uterque fidem datam praestat, dicitur simonia *realis*; si ambo tantummodo pangant, *conventionalis*; *pura* est, si alteruter tantum steterit promissis; committitur vero simonia *conventionalis mixta*, si ambo; demum cum pactum nullo externo signo manifestum fit, *mentalis* appellatur, sicut et illa *mentalis* dicitur, quando unus rem terrenam spondet pro sacra, alter conventionem respuit. Est altera species *confidentialis* dicta, in quam incurritur cum alicui beneficium eligendum, postulandum, praesentandum, resignando, instituendo, confirmando comparatur firma spe, ut qui beneficium est consequutus, sibi, vel consanguineo sit concessurus, adjecto pacto accessus, vel ingressus, aut egressus. Idem judicate si resignans, procurans,

permutans beneficium ineat pactum de pensione sibi solvenda, ex constitutione Pii IV, et S. Pii V.

X. Ad intelligendas leges sancitas in simoniam illud constanter vobis praesto sit, fructus terrestres quos Sacri Ministri percipiunt ex beneficiis, eis impartiri ratione officii, quod omnino sacrum est, et a terrenis rebus longe remotum. Quare, cum tota ratio et fundamentum possidendi sit munus sacrum, quicumque de beneficio convenit, de ipso sacro officio paciscitur, quia unum sine altero vendi, aut emi nequit. Ex hoc principio facile vobis erit innumeras, implicatasque disputationes, quas Juris Interpretes texunt, enodare, et judicare, quando hoc vitium incurratur.

XI. Poenae sancitae in simoniam ipso jure ac facto incurruntur ab iis qui hoc crimine se obstrinxerunt, conferendo, aut suscipiendo Sacros Ordines, vel in ingressu, ac professione religiosa, et in beneficiis conferendis, percipiendisque. Praeterea canones statutis poenis plectunt, saltem in foro externo, solam simoniam realem, in qua pacta ab utroque implentur, et confidentialem; de conventionali vero mixta gravissimi auctores affirmant. Poenae irrogatae in conferentem ordines per simoniam sunt excomunicatio latae sententiae, nec posse amplius ullum tribuere ordinem, aut munus sacrum exercere; Ecclesiam vero gubernare, fructus beneficii percipere nequit, si contempserit obedire canonibus; demum suo gradu movendus, quando crimen est conspicuum, et contemnit leges; suscipiens ordines per simoniam etiam occultam anathemate percellitur ipso facto, nec receptum, aliosque ordines exercere valet; atque si hoc audeat, irregularis est, expoliaturque omnibus dignitatibus, officiis, et beneficiis; si vero est regularis, voce activa, et passiva privatur.

Conferentes, vel procurantes, sive recipientes beneficium simoniace subjacent excomunicationi reservatae Pontifici; collatio est nullius praetii, debet se abdicare beneficio ante sententiam Judicis, etiam si percipiens beneficium ignarus esset simoniae admissae; est pariter ineptus ad quaelibet beneficia obtinenda, et iis quibus potiebatur, expoliatur, removeturque a sacris muneribus implendis. Dantes, et recipientes in ingressu vel professione religiosa, si aliquis e comunitate tantum deliquet, excomunicatione punitur; si tota comunitas lapsa sit, suspensa est a muneribus implendis, compelliturque superior in arctius monasterium, ut poeniteat.

XII. Sortilegium dicitur a sorte, ac plerumque accipitur pro superstitiosa divinatione, qua quis futura occulta, et incerta praedicere authumat ex signis, quae nec suapte natura, nec ex Dei jussu ad id sunt instituta. Hinc quaedam Dei proprietas, ac cultus tribuitur rebus creatis, quod plane flagitiosum est. Quod si istis incertis signis aliquis nitatur nocere hominibus, eorumque fortunis, maleficus est, et maleficii reus. In hos homines, periculosos reipublicae, et Ecclesiae, extant multae leges in Codice Theodosiano, quibus etiam capite damnantur. Canones vero severas poenas iis imponunt. Pluribus in locis maleficium putatur crimen mixti fori, cum soleant malefici abuti rebus sacris.

XIII. Adulterium est concubitus inter eam quae non est conjux, vel conjugis cum eo qui non est maritus. Hoc atrox crimen plectendum statuit Constantinus, anno 339. parricidarum poena, et Justinianus virum adulterum morte affici, mulierem in monasterio ad poenitendum includi. Tridentinum, Sess. 24. de Ref.

matrim. cap. 8., publicos adulteros pervicaces jubet anathemate percelli, a Dioecesi ejici, et veteres canones graviter animadvertunt in adulteros ut ejus atrocitatem quisque intelligat: si agatur de solius thori separatione ob crimen adulterii judicium spectare ajunt interpretes ad Judicem Ecclesiasticum, licet in nonnullis locis aliud sit constitutum.

XIV. Stuprum admittitur cum virgine, aut honesta vidua: ex jure Romano poena est publicatio dimidiae partis bonorum in hominibus honestis, in vilibus coercitio corporis, et exilium. Modo stupri reus dotare tenetur, vel nubere ei qua abusus est. Pontificium jus ad nubendum, vel dotandum compellit conscium stupri, et recusantem irretiendum anathemate, ac in Monasterio conjiciendum. Ob adjuncta aggravantia stuprum severius agi potest, et quidem capitalis poena decernitur a Justiniano in violentum stuprum, eodemque supplicio subjecti sunt qui honestam foeminam, aut virginem vi abducunt libidinis causa, aut violenter comprimunt.

XV. Concubitus consanguineorum, aut affinium in eo gradu qui matrimonium dirimit, est incestus. Incesti diutius poenitere coguntur, et capitaliter condemnantur jure civili; hoc crimen mixti fori habetur. Qui autem cum muliere instar uxoris familiariter utitur, et abutitur, concubinatum admittit. Hoc flagitium nunquam toleravit disciplina Romanae Ecclesiae, semperque improbarunt Patres; quare Trid., Sess. 24. de matrim. cap. 8., concubinarios, et admonitos non obedientes, excomunicatione puniendos statuit, ac per annum negligentes plectendos censuris ab ordinario, mulieres expellendas a Dioecesi, confirmatis aliis poenis contra adulteros, et concubinarios. Concubitus fit sacrile-

gus si Deo votum coelibis vitae nuncupaverit ille qui impure conversatur. Jus civile in istos criminosos animadvertit etiam morte, et vetus sacra disciplina clericos incontinentes ab omni Ecclesiae officio removebat. Plura adversus Ecclesiasticos incontinentes sancivit Triden., Sess. 25. cap. 14. de Reform. Omne contumeliosum verbum, quo Deo aliqua proprietas adimitur, vel dedecens tribuitur, est blasphemia. Blasphemum capite damnat Justinianus, et capitulare 84. francorum. Peculiaris poena constituitur a Gregorio IX. *in cap. 2. de maleficiis*, aliaeque a Leone X., et Pio V. Blasphemia est crimen communis fori pluribus in locis: hoc crimen admittitur etiam in Sanctos, si eis conviciatur.

XVI. Pejerare grave crimen est, et ad arbitrium judicis in foro civili plectitur. Crimen falsi punitur ab Ecclesiastico si peccatum sit in judicio Ecclesiastico, si in civili, a civili Judice. Nefas est laicum violentas manus injicere Clerico, et hunc reum Ecclesiasticis poenis, Ecclesiasticus, civilibus, civilis Judex coercebit.

XVII. Usura prohibetur in utroque foro. Lateranense tertium publicos foeneratores ab Eucharistia rejicit, privat sepultura, et supponit excomunicationi, nisi poeniteant; clericos officio, et beneficio expoliat. Hinc in fures, raptores, incendiarios plura sunt statuta civilibus, ac Ecclesiasticis sanctionibus, clericique tantis criminibus constricti, amoventur suo gradu, et beneficiis privantur, ac ad alia consequenda non sunt idonei; idem judicium ferendum de homicidis, et sacrilegis.

CAPUT VIII.

DE POENIS, ET CENSURIS ECCLESIASTICIS.

I. Ecclesiam hominum societatem a Christo institutam ad aeternam salutem comparandam carere non posse auctoritate irrogandi poenas suo fini consonas ea ratio suadet qua edocemur cuilibet hominum consociationi inesse potestatem animadvertendi in eos qui reipublicae, vel regni leges infringunt. Hinc Christus Matthei 18. constituit, imperavitque Ecclesiae gubernatoribus ut peccantem, et pugnacem hominem ejicerent a fidelium coetu. Quare Ecclesiae ministri puniendo criminosos exercent jurisdictionem a Christo acceptam, manantem ex divina auctoritate, remittendi scelera, eandemque damnandi; ideoque maxime errat Bohemerus cum aliis qui ex una fidelium consensione, atque pactione repetunt facultatem puniendi, quam sacri ministri exercent. Magnopere quidem differunt poenae Ecclesiasticae, ac civiles; illae enim directe spectant curationem animi, et ad aeternam securitatem ducunt; istae terrena commoda, et externam tranquillitatem sibi proponunt.

II. Ecclesiasticae poenae appellatae sunt sapienter ab antiquis sub nomine censurae, quae vox deprompta est ex Romano jure, in quo censura, cum omnino sita esset in privatione juris, vel dignitatis, sic poenas Ecclesiae apposite vocarunt censuras, cum illarum vis in privatione alicujus comunionis, vel dignitatis posita sit.

III. Homines bapstimate consecrati, et graviores culpae conscii, potestati ejus, qui censuras ferre potest, sunt subjecti; et ideo possunt etiam censuris percelli. In eos vero, quos Ecclesia e suo sinu ejecit, dicitur

sententia censurae, ut erroris poeniteant, et ad officium redeant. Cavit Tridentinum, Sess. 25., De Regular., cap. 12., ut censurae, et interdicta Ordinarii, Regulares publicarent in suis Ecclesiis, ne praetendentes exemptionem eas negligerent. Censurae in mortuos latae sunt execrationis causa, ut defuncti memoria sit invisa, ac perosa fidelibus.

IV. Ceteris censuris eminet excomunicatio, et est ab Ecclesiae comunione separatio. Comunio Ecclesiastica sita est in officiis religionis, quibus inter se fideles unius societatis devinciuntur, et in unam societatem conjunguntur. Exercitatio religionis posita est in unius fidei consensione, ac professione, in Ecclesiasticis ritibus, sacrisque officiis, quibus fideles interesse possunt. Ecclesiae particulares, quae, ut ait Cyprianus, ex grege adhaerente suo Pastori constant, inter se sunt colligatae, et ex hac consociatione a Christo praescripta exoritur totius Ecclesiae consensio, et communio catholica sub capite Petro, ejusque successoribus. Hanc conjunctionem particulares Ecclesiae olim declarabant recipiendo ad sacra officia fideles, litteris sui Episcopi munitos, et extra suam Dioecesim profectos. Eamdem unionem Antistites ostendebant quoque litteris formatis, quibus de negotiis Ecclesiae tractabant, sibique opem ferebant.

V. Comunio Ecclesiastica suos habet gradus, suos pariter habebit et excomunicatio. Hinc variæ sunt excomunicationis species, quae omnes facile revocantur ad excomunicationem majorem, et minorem. Major, a veteribus, mortalis, et anathema dicta, fertur in criminosos ostinatos, per quam omnino a Christi Ecclesia abscinduntur, in qua sola cum pateat aditus ad aeternam salutem, hinc excomunicatio appellata fuit mortalis.

Minor excomunicatio ex veteri disciplina afficiebat eos qui sponte confessi suum crimen, vel convicti ad poenitendum parati, ab Eucharistia, aliisque sacris functionibus ad tempus removebantur, ut de sceleribus dolerent, perfunctique praescriptis laboribus veniam impetrarent.

VI. Ab hac excomunicatione non erat dissimilis illa, qua Episcopus in alium Episcopum utebatur, mutuam interdicendo comunionem, formatas litteras recusando, nec admittendo ad sacra officia comendatitiis litteris frctos. Hoc pacto secum agebant Episcopi si quid in fide, vel disciplina ab altero Episcopo peccatum putarent; ne temere autem Episcopi quidpiam facerent, Synodus octava vetuit ne ante Synodi sententiam quispiam alterius communionem repudiaret. Nunc autem hae causae ad solum pertinent Pontificem. Minor excomunicatio vetat suscipere, vel administrare sacramenta, et arcet a percipiendis beneficiis. Hanc incurrit, qui cum publico peccatore, sive publico majori excomunicatione nominatim irretito communicat.

VII. Ex veterum sententia major excomunicatio dicebatur etiam anathema, et nomen excomunicationis erat generale, quo indicabant vel omnimodam ejectionem a fidelium grege, vel repulsam ab Eucharistia, comunibusque precibus; ast in Pontificiis decretalibus, et nova disciplina, excomunicationis vox per se indicat majorem excomunicationem; immo differt anathema ab excomunicatione, quod haec sine ulla solemni celebritate, illud cum apparatu feratur, uti legenti Coelestini III., et Clementis III. decretum apparet; praeterea in novo jure distinguitur excomunicatio in illam quae est *ferendae sententiae*, et aliam, quae dicitur *latae sen-*

tentiae; ad primam incurrendam, praeter crimen, opus est ut judex sententiam dicat in reum; secundam infligit ipsum crimen sine ullo judicis judicio, et ideo vocatur excomunicatio canonis, et juris; altera vero nominatur hominis, et judicis. Ex formulis decretorum una secernitur ab alia; sic haec dicta canonum *excomunicetur*, *segregetur*, *praecipimus sub poena excomunicationis* explicantur de excomunicatione ferendae sententiae; haec vero: *Sit ipso facto excomunicatus*, *vel ipso jure excomunicationem incurrat* de excomunicatione latae sententiae intelligitur.

VIII. Major excomunicatio, ex Christi praescriptis separat prorsus hominem ab Ecclesia, eaque implicatus excidit ab omni jure, quod per baptisma sibi comparat, arcet a sacramentis, et a sacris officiis, expoliat qualibet Ecclesiastica potestate jurisdictionis, privat comunibus fidelium suffragiis; nefas tamen est excomunicatos odio prosequi, et pro eis licet supplicare Deum, ut poeniteant.

IX. In epistola 2. Joannis, 1. ad Corinth., cap. 5., ad Rom. 16., 2., ad Thessalon. 3. praecipitur, ne excomunicati salutentur, vel domi recipiantur, eorumque convivia, et conversationes vitentur. Hoc cautum ad deterrendos homines a peccato, et incitandos reos ad poenitendum. Ea tamen officia, quae Apostoli vetant exercere fideles in excomunicatos, ea solummodo continent quae libera erant, et a sola hominis voluntate pendebant, uti amicitiae signa et conversationis; non autem quae necessaria sunt, uti conjugis habitatio cum viro, parentum officia in sobolem, et hujus in genitores.

X. Antiqui Canones eadem poena plectebant communicantes in rebus sacris cum excomunicatis; po-

tea poena dilatata est ad eos, qui cum excomunicatis conversarentur. Nunc cum excomunicato conversari licet, si aliquod officium sit jure debitum, si necessitas, vel utilitas ipsius excommunicati, vel aliorum exposcat; demum conversatio cum excommunicato caret poena, quoties illum esse excomunicatum ignorabatur. Haec mitigatio a Gregorio VII. inchoata, a consequentibus Pontificibus probata, et amplificata est, ut in praesens, si excipiamus eum qui cum excomunicato scienter communicat in crimine, vel qui Clericum a Pontifice excomunicatum receperit deliberate in Sacrorum comunionem, reliqui sola excomunicatione minori ligantur, qua a Sacramentis recipiendis repelluntur, non vero a reliquo sive civili, sive sacro commercio interdicuntur. Insuper ille tantum in divinis, et in humanis vitandus est, in quem sententia excomunicationis fuerit nominatim dicta a judice, et publicata, atque denunciata specialiter, et expresse, ex Martino V. in Concilio Constantiensi, ut refert S. Antoninus in *part. 3. summae tit. 25. cap. 3.* Ex eodem Pontifice publici Clericorum percussores sunt vitandi ipso facto, sicut superius diximus.

XI. Excomunicatio major cum omnium Ecclesiasticarum poenarum gravissima sit, irrogari nequit nisi ob grave crimen evidens, et per legitimum judicium probatum. Oportet ut adsit quoque contumacia; quare volunt Patres non prius criminosum puniendum excomunicatione quam admoneatur, vel citetur. Tribus vicibus admonendum esse ajunt Ephesini, et Chalcedonenses Patres, bis commonendum decernunt Patres Tridentini, Sess. 25. de Reform. Cap. 2., idque decretum, ut constet de aliena pertinacia; quin nec statim inferenda est excomunicatio nisi prius patue-

rit rei pertinacia, ad quam frangendam nihil intentatum est relinquendum. Haec cautio maxime adhibenda si reus, ut ait Augustinus Lib. 3. contra Parmenianum, sociam habeat multitudinem. Cui enim plures student, hic altos sibi sumit spiritus, poenam spernit, ad tumultuandum paratus distrahit, dissociatque animum; inde divisiones, defectionesque facile gignuntur, et ideo fortiter non minus, quam suaviter poena infligenda.

XII. Excomunicatio lata in hominem insontem, ejus conscientiam minime constringit, cum Ecclesiae Ministri neminem sacris vinculis obstringere possint nisi prius ipse semetipsum crimine devincierit. Interim qui injuriam sustinet, serio perpendet, an tantam poenam incurrerit propter culpam, quam non satis cognoscat, et ad hos homines spectat dictum Gregorii Magni, homil. 26., sententia pastoris sive justa, sive injusta fuerit, timenda est. Quoties vero innocentia excomunicati populo cognita, ac perspecta omnino non est in foro externo, servanda est censura, ne ceteri offendantur. Si vero injustitia perspicua prorsus sit, sequi poterit Gelasii sententia: si injusta est censura, tanto aliquis ea curare non debet, quanto apud Deum, et ejus Ecclesiam neminem potest iniqua gravare sententia; ut evenit, si excomunicatio sit ipso jure irrita. Edicit Canon 6. Nicaenus latam ab Episcopo excomunicationem servandam ab aliis Praesulibus. Hac de causa Episcopi, post sententiam dictam, ceteros litteris admonebant; hunc morem praescribit Pontificale Romanum, et prolato anathemate, Parochi, et vicini Episcopi commonendi sunt de nomine excomunicati, et causa excomunicationis. De ritibus quibus excomunicatio pronunciatur videte Pontificale Roma-

num. Omnis excommunicatio litteris mandanda est, ejusque causa exponenda.

XIII. Interdictum est aliud genus censurae, quae privat hominem aliquibus rebus sacris, quae sunt communes aliis fidelibus. Interdictum aliud directe fertur in obstinatos homines, et *personale* dicitur, aliud afficit locum, in quo res sacras agere nefas est; aliud attingit locum, et homines. Pariter *generale* est, vel, *particulare*, vel *latae*, aut *ferendae sententiae*. Interdicto nominatim populo, non est interdictus Clerus; at si clerus interdicitur, erit interdictus populus: interdicta civitate, vel Ecclesia, subsunt interdicto loca suburbana, sacella, coemeterium, haerentia Ecclesiae. Interdicto utendum est caute, et prudenter, gravi expostulante causa. Grave enim est sacris interdicere, divina officia cessare, ac sacramenta Christi gregi non ministrari. Per generale interdictum locale, excepto baptismo pro parvulis, Eucharistia, et Poenitentia morituris, omnia sacra officia vetabantur. Permisit Innocentius III. sacras conciones, et parvulis Chrisma; privatam sepulturam Clericis, poenitentiam Cruce signatis, et peregrinis etiam sanis. Gregorius IX. semel in hebdomada non solemniter sacrificare permisit, januis clausis, rejectis excomunicatis, et interdictis. Bonifacius VIII. poenitentiam omnibus sanis, quotidie divina officia ostio clauso private agere. Solemniter autem in festo Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis Mariae, et ex Martino V. in die ac octava Corporis Domini iis solis hominibus, quorum gratia interdictum erat latum, prohibitis propius ad sacram aram accedere. Clerici celebrantes in Ecclesia interdicta incurrunt irregularitatem, quam solus Pontifex remittit, inter-

dictum hominem sepellire in loco sacro vetitum sub poena excomunicationis reservata Pontifici, cui poenae subsunt Regulares non obedientes interdicto. Interdicere non licet, nisi triplex monitio, aut citatio praecesserit, et sententia scriptis mandata fuerit.

XIV. Suspensio est censura illata Clerico ut poeniteat, eaque impeditur uti potestate sacra, qua ratione ordinis, officii, beneficii est praeditus. Clerici suspenduntur ab ordine, vel officio, vel beneficio; suspensio ab ordine impedit exercere ordinem, suspensio ab officio vetat officium implere, suspensio a beneficio prohibet administrare beneficium, et capere ipsius fructus. Suspensio vel generalis est, vel rata tantum comprehendit officia, vel irrogatur ad tempus, et locum. Si generatim quis suspenditur, intelligitur suspensus ab ordine, officio, et beneficio; postremo suspensio est latae, vel ferendae sententiae; ipsosque non expoliat officio aut beneficio, sed prohibet fungi officio, vel fructus percipere.

XV. In suspensione ferenda non desideratur eadem gravitas culpae quae requiritur in excomunicatione; contumacia tamen intersit oportet, et ideo suspensionem vel monitio, aut citatio antegredi debet, sententia scriptis tradenda est, ac declaranda causa. Suspensus ab ordine, vel officio, et tamen exercens munia ordinis, vel officii irregularis fit. Postremo est suspensio ad quamdam providentiam boni publici, eaque non expostulat omnes judiciarias formas, quae adhibentur in aliis suspensionis speciebus. A censuris per sententiam judicis latis, judex, qui eas infligit, potest absolvere: si a sententia Episcopi ad Metropolitam provocetur, tunc, vel ea sententia Episcopi agnoscitur justa, et ad Episcopum remittitur appellans, nisi ob di-

lationem immineat periculum illi, qui censurae est obnoxius, vel noscet judex latae sententiae reum poscentem veniam injuste alligatum, et in hoc casu licet Metropolitae absolvere. Quod si dubitetur de justitia censurae, poterit Metropolita remittere. A censura, quae ipso facto incurritur, nisi auctor censurae absolutionem sibi reservaverit Episcopus, alius Sacerdos approbatus absolvere potest. Reservatas censuras solus Legislator, vel ejus delegatus relaxat. Generaliter praemittitur absolutioni in Sacramento poenitentiae, inseriturque bullis Pontificiis, ut firma sit gratia a Pontifice collata. Extat etiam absolutio cum reincidentia, eaque tribuitur ad ratum tempus, vel actum, ita ut elapso tempore, vel actu non impleto, iterum relabitur reus in censuram.

XVI. Hactenus persequutus sum censuras; aliqua addere lubet de aliis poenis. Consueverunt veteres movere gradu suo criminosos ministros, a sacris officiis arcere, et beneficio exuere; haec poena fuit nuncupata depositio, aut degradatio. Ex nova disciplina differunt depositio, ac degradatio. Prima fit per solam judicis sententiam, secunda plures solemnitates adjunctas habet; depositus addicitur poenitentiae, degradatus civili Magistratui traditur.

XVII. Statuunt Africani Patres ut Diaconi ab Episcopo, et tribus finitimis aliis, Praesbiter a sex, et Episcopus a duodecim Episcopis damnetur. Nunc causae Episcoporum ad Pontificem spectant, Minores Clerici per solum Episcopum suo gradu moventur, majores ab Episcopo, vicinisque Praesulibus secundum veterem disciplinam, vel in eorum loco in necessitate ex Tridentino, Sess. 13. de Reform. Cap. 4., Abates, et Sacerdotes dignitate, et scientia ornati eli-

gi possunt. Martene de antiquis Ecclesiae ritibus, describit ritus depositionis, qui maxime spectabant expoliationem omnis ornatus, et vestis sui gradus cum aliqua ignominia. Solemnitates degradationis ex nova disciplina leguntur *in cap. 2. de poenis in sesto*. Depositio irrogabatur a priscis ob delictum quod affert dedecus ordini Ecclesiastico. Degradatio infligitur ob enormia crimina, quae percenset Benedictus XIV. *in Lib. 9. de Synodo Dioecesana cap. 6.* Depositio, secundum antiquos erat, perpetua, et depositi erant participes solius laicae comunionis, atque addicti curiae, seu perpetuo Collegiorum servitio. Nunc depositis ex venia Pontificia spes est redeundi ad suum gradum. Soli degradati traduntur ad poenam civili Magistratui, et primo per sententiam deponendi sunt, excomunicandi, et anathemate afficiendi, et manentes in contumacia degradandi, demum curiae traduntur. Degradatio inter poenas Ecclesiasticas refertur, et per hanc Clericus a majori gradu ad inferiorem dejiciebatur. Juniores Clerici etiam verberibus castigabantur. Frequenter criminosi Clerici Monasteriis includebantur ad poenitendum, vel conjiciebantur in diaconiis, scilicet cubiculis haerentibus Ecclesiae. Antiquis poenitentiae functionibus adjunctae etiam erant mulctae pecuniariae; hujusmodi pecuniarias mulctas probavit Tridentinum, Sess. 25. Cap. 3. de Reform., easque in pios usus instituendas decernit. Episcopi Clericos alienae Dioecesis possunt compellere ad suum Episcopum redire. Atque haec pro Institutionum Juris Canonici modulo satis sunto.

APPENDIX

I.

BULLA

BENEDICTI PAPAE XIII.

circa

SICULAM MONARCHIAM

BENEDICTUS

EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PROEMIUM.

Fideli ac prudenti dispensatori, quem in supremo Apostolatus apice constituit Dominus super familiam suam, maxime convenit tradita sibi coelitus uti potestate, ut si quae sint inter Pontificalem auctoritatem, et regiam potestatem contentiones, quantum fieri potest, amoveantur, utque nedum fidelium populorum pericula arceantur, sed etiam incommoda leniantur, prout locorum, et temporum ratione habita, magis in Domino videbitur expedire.

§. 1. *Causae hujus Constitutionis promulgandae.*

Cum itaque felicis recordationis Clemens Papa XI, Praedecessor noster, Apostolicam Regni Siciliae ultra Pharum Legationem, ac Monarchiam nuncupatam, ejusque tribunal extinxerit, ac suppresserit, et aboleverit, si quae essent privilegia, et indulta a quibuscumque Romanis Pontificibus Praedecessoribus quomodolibet concessa revocaverit, et abrogaverit: et certum interim modum praescripserit quo causae ad forum Ecclesiasticum pertinentes cognosci, et in eodem Regno fine debito terminari possent, quemadmodum in ejus Apostolicis literis, expeditis anno millesimo septingentesimo decimo quinto, plenius continetur; cumque charissimus in Christo filius noster Carolus VI in Romanorum Imperatorem electus, Siciliae ultra Pharum Rex, exponi nobis nuper fecerit jura Apostolicae legationis in eodem Regno sibi, ejusdem haeredi legitimo et possessori, ex privilegio signanter Urbani Papae II Praedecessoris nostri, competere: quae quidem jura jam olim Rogerio Comiti e Normannorum gente ejusque successoribus, ob eliminatam Saracenorum tyrannidem, catholicam fidem restitutam, Ecclesiasque, Patriarcatui Costantinopolitano tunc temporis adhaerentes, Romanae Sedi iterum subjectas, concessa, anteactorum sex saeculorum decursu usque ad Caroli II obitum, in suo robore atque usu permanserint; hinc nos, etsi compertum habeamus hujusmodi rationibus eundem Praedecessorem nostrum, praesertim propter abusus, quos irrepsisse constabat, minime acquievisse; nosque ipsi, dum Cardinalatus honore fungebamur, eidem Constitutioni reverenter subscripserimus, omniumque circumstantiarum opportune reminiscamur;

attamen cum graves inde exortae fuerint contentiones atque mala non sine animarum pernicie, pubblicaeque tranquillitatis detrimento, serio propterea considerantes, quantum pastoralis sollicitudinis intersit, causas etiam talium contentionum avertere ac prorsus eliminare; ita ut, abusibus e medio sublatis, jus ex aequo universis reddatur, ex voto Congregationis venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, pro hujus negotii examine specialiter deputatae, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, finem huic operoso gravissimoque negotio imponentes, nostra hac perpetuo valitura constitutione, vim, et effectum concordiae habente, haec quae sequuntur, decernimus, et sancimus, ac inviolabiliter ad his, ad quos spectat, et in futurum spectabit, observari mandamus.

§. 2. *Ordo cognoscendi causas Ecclesiasticas in Sicilia post Majores, quae apud unam Aposolicam Sedem cognosci debent.*

Causae omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, iis exceptis, quae vere Majores sunt, quaeque juxta canonicas sanctiones apud Apostolicam Sedem tractari, et a Romano Pontifice, vel a judicibus quos ipse specialiter deputaverit, cognosci debent, non alibi quam in ipso Siciliae ultra Pharum Regno cognoscantur, et fine debito, quem justitia postulaverit, terminentur, ita videlicet ut non exemptorum causae in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, nec ab eorum Curiis avocentur, nisi per viam legitimae appellationis a senten-

tia definitiva, aut ab interlocutoria, vim definitivae habente, vel ab actu, cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, vel praejudiciale sit invertendo justum juris et judiciorum ordinem, aut nisi integro biennio, a die motae litis computando, coram ipsis Ordinariis remanserint indecisae, quemadmodum a Concilio Tridentino *in cap. 20. Causae omnes Sess. 24. de Reform.*, decretum est. Sique secus fiat, quaecumque appellatio, inhibitio, aut sententia, eo ipso nulla, et irrita sit, juxta ejusdem Concilii praescriptum. Respectu vero exemptorum ab Ordinariis, judex ecclesiasticus, a Rege illius Regni, ut infra dicendum, nominatus, et delegatus, et pro tempore, ejus arbitrio nominandus, et delegandus, tanquam Ordinarius, de causis civilibus, et criminalibus illorum, ut postea dicetur, cognoscat, ne aliter hujusmodi personae, et jura sine providentia remaneant. A sententia Ordinarii ad Metropolitanum appelletur, servata itidem in omnibus forma in antedicti Concilii decretis constituta.

§. 3. *Qui judex causas appellationum a sententiis Metropolitani cognoscere debet.*

Postquam vero Metropolitanus in causa pronnunciaverit, vel in secunda instantia, quoad sententias suorum suffraganeorum, vel in prima, quoad causas propriae Dioecesis, possint partes, vel earum altera, provocare ad eum virum, in jure Canonico Doctorem seu Licentiatum, nobilium universitatum, more diligenti examine praecedente, promotum, et in Ecclesiastica dignitate constitutum, a charissimo Filio nostro Carolo VI. in Romanorum Imperatorem electo,

et Siciliae Rege, ejusque in Regno Siciliae ultra Pharum successoribus, aut de eorumdem mandato, ex concessione Sedis Apostolicae deputatum, et delegatum, et in posterum ab ipso, ejusque in eodem Regno successoribus, aut de eorundem mandato deputandum, et delegandum: quem eo ipso delegatum auctoritate Sedis Apostolicae constitutum, et pro tempore coustituendum, recognoscimus, et firmamus, ut causas Ecclesiasticas antedictarum appellationum in praedicto Regno Siciliae ultra Pharum cognoscere, aliaque inferius exprimenda peragere possit, servatis tamen praemissis, aliisque inferius explicandis, ita ut quidquid aliter sive scienter sive ignoranter fieri contigerit, ipso jure nullum, irritumque sit.

§. 4. *Remedia pro iis, qui se a sententia ejusdem primi Judicis appellationum gravati sentient.*

Si vero antedictus judex gravamen inferat, vel quomodocumque partes, sive earum altera, gravatas ab ejusdem sententia seu Decreto sese senserint, tunc ut appellationis atque extremae provocationis remedio, omnibusque legum atque Canonicarum sanctionum auxiliis Christifideles praedicti Siciliae Regni uti, et frui possint, eademque remedia, juris ordine servato, sicut oportet, experiri, idem chiarissimus in Christo Filius Siciliae Rex, ejusque successores in perpetuum, vel alter de ejusdem, aut de ipsius successorum mandato, sedulo providendum, ut apertum atque patens in omni tempore tribunal, seu Curia: in qua tamen vir, etiam in dignitate Ecclesiastica constitutus, atque, ut supra, in utroque jure licentiatus

seu doctor, deputatus, et delegatus cum tribus aliis assessoribus, in utroque jure versatis, eodem pariter modo, uti supra, deputandis, et nominandis, jus reddat, atque primum diligenter expendat, an appellatio rejici, vel admitti debeat, et quibus clausulis causa committenda sit. Quoties vero causa fuerit visa digna ulteriori cognitione, eam primo cognoscat, et judicet idem modo dictus judex, a quo ulteriori cognitione digna decreta est, adhibito eorumdem assessorum consilio. Quod, si post haec, res adhuc ulteriori discussione opus habeat, nec lis finita sit, eadem coram altero idoneo Ecclesiastico judice, ut supra, cum assessoribus vel consiliariis nominando, discutiatur, et ita deinceps, ita tamen, ut causa in quacumque instantia, coram judice Ecclesiastico semper pertractetur, et in omnibus, juris ordine servato terminetur.

§. 5. *Appellantes in una tantum causa, in reliquis appellare non censeantur.*

Appellantes in una causa, omnes subjecti remaneant, quoad alias causas, jurisdictioni suorum Ordinariorum, a qua eximi nec a Metropolitano, nec a Delegato possint, nisi in casibus a jure Canonico præscriptis.

§. 6. *De causis Regularium.*

In causis, in quibus Conservatores Regularium decretum vel sententiam tulerint; qui se ab illis gravatum existimaverit, recursum similiter habere poterit ad antedictum Delegatum: qui quidem, si, inspectis utriusque partis juribus, appellationem duxerit ad-

mittendam, ipse in talis causae cognitione, prout juris fuerit, procedet: sique partes, vel earum altera, de gravamine ab ejus judicato, sibi illato, conquererentur, id servetur, quod supra de appellationibus a decreto vel sententia judicis delegati statutum est. Ceterum, praedicti Conservatores inviolate servare debeant praescripta in costitutionibus felicis recordationis Innocentii PP. IV., Alexandri IV., Bonifacii VIII., Gregorii XV., aliorumque nostrorum Praedecessorum, necnon in Concilii Tridentini decretis, sub poenis ibidem contentis.

§. 7. *Appellationes quomodo recipiendae.*

Appellationes numquam recipiantur, nisi per publica documenta, realiter exhibenda, prius constiterit appellationem a sententia definitiva, vel habente vim definitivae, aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, vel quod praejudiciale sit in casibus a jure non prohibitis, per legitimam personam, et intra statuta tempora, fuisse interpositam aut prosecutam; nec praeterquam in casibus a jure permissis, dum causa coram inferioribus judicibus pendet, ante definitivam, vel vim definitivae habentem, et a gravamine, quod asservatur illatum, superiores cognoscere possint, licet citra praejudicium ordinarii cursus causae, se de id facere declarent. Nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut etiam simpliciter mandare, ut ipsi copia processus mittatur, etiam expensis appellantis, vel recurrentis, nisi in casibus a jure permissis.

§. 8. *Inhibitiones post Appellationes admissas quomodo concedendae.*

Inhibitiones post appellationes, sicut praemittitur, admissas, non concedantur, nisi cum inscrtione tenoris sententiac, aut decreti, a qua, vel a quo provocatum fuerit; alias inhibitiones, et processus, et inde secuta quaecumque, sint ipso jure nulla, eisque impune liceat non parere. Sed si appellans asserat, sententiae vel decretis, sive appellationis interpositae, exemplum authenticum habere se non posse culpa judicis, a quo, vel actuarii, tunc, sive Metropolitanus, sive praefatus judex Ecclesiasticus delegatus, respective, injungat iis, ad quos pertinet, ut soluta actorum mercede, exemplum in forma probante tradatur appellanti, intra brevem terminum: et interim nihil novi coram judice, a quo, contra appellantem attentetur.

§. 9. *De appellatione a Decretis Ordinariorum in visitatione editis.*

A decretis Ordinariorum, in visitatione, vel pro correctione morum editis, nullus sit appellationi locus, quoad effectum suspensivum, nisi cum visitator, citata parte, et adhibita causae cognitione, judicialiter processerit, et in aliis casibus a jure permissis.

§. 10. *De Appellatione a gravamine per definitivam sententiam non reparando.*

Cum a gravamine quod per definitivam reparari nequeat, vel quod praejudiciale fit, appellatur nonnisi visis actis, ex quibus apparet de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel provisio ulla concedatur.

§. 11. *De inibitionibus expediendis.*

In causa indebitae carcerationis, quatenus sit secuta cum mandato judicis verbali, possit judex appellationis expedire inhibitiones, vigore appellationis constito sive per depositionem duorum testium de mandato, sive per documentum notarii, vel custodis carcerum, de carceratione. In causis vero comminatae injustae carcerationis, vel torturae, vel excommunicationis, non expediantur inhibitiones generales, et indefinitae, sed tantum compulsoriales pro transmissione copiae actorum, ad effectum cognoscendi an sit deferendum, nec ne, appellationi, adjuncta in dictis literis compulsorialibus inhibitione, ut interim judex, a quo, ad ulteriora non procedat, et quatenus visis actis resultat evidens gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, et causa cognoscatur coram judice, ad quem. Si vero de hujusmodi gravamine non constet, remittatur causa ad judicem a quo, cognoscenda in prima instantia.

§. 12. *De actibus originalibus primae instantiae a notario mittendis.*

Acta originalia primae instantiae notarius, sive actuarius mittere ad judicem appellationis minime cogatur, nisi natura ipsa causae id flagitet, aut probabilis aliqua falsitatis suspicio incidat, quae judicialiter apposita ab interesse habentibus fuerit: et tunc, post terminationem causae, statim remittant ad Ordinarium, et in ejus Curiae tabolario asserventur.

§. 13. *De carcerato appellante.*

Causa appellationis pendente, appellans, in eodem, ubi reperitur carcere, permaneat, quoad judex, ad quem causae cognitio devolvenda decreto est, visis actis, causaque cognita, aliter decreverit: et tunc quidem, si a decreto secundi judicis, vim definitivae habente, appellatum fuerit, nihil ipse interim mandare, aut pro decreti sui executione attentare poterit, donec per judicem superiorem aliter fuerit ordinatum; exceptis tamen casibus, in quibus aliter a jure statutum sit; et in quibus appellatio contra decretum excarcerationis, effectum tantum devolutivum, favore libertatis, producit.

§. 14. *De Censura Ecclesiastica in appellantem prolata.*

Censura Ecclesiastica in appellantem prolata, revocari aut nulla declarari per judicem appellationis, etsi is sit delegatus, non possit, nisi prius auditis partibus, et causa cognita; et tunc, si eam esse justam constiterit, ad judicem, qui excommunicationem protulit, remittatur appellans, et ab ipso, juxta sacros Canones, beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem praestiterit, obtineat. Si vero injustam esse appareat, judex appellationis absolutionem concedat. Et si dubitetur, an justa fuerit, vel injusta, quamvis honestius sit, ut ad excommunicatoriam intra brevem aliquem competentem terminum, eidem praefigendum, absolvendus remittatur, judex nihilominus appellationis, hoc casu, per se poterit eum absolvere.

§. 15. De absolutione ad cautelam.

Absolutio ad cautelam, nonnisi servatis de jure servandis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis, vel ab homine prolatae, vel a jure inflictae, si dubium facti, vel probabile dubium juris occurrat, concedenda erit, tamquam ad breve tempus, cum reincidentia, necnon praestita per excommunicatum cautione de stando juri, et parendo mandatis Ecclesiae. Quod si, juxta formam a jure praescriptam, apparebit aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem praestare necnon ob contumaciam manifestam, expensis quoque satisfacere, et cavere de judicio sisti coram excommunicatore, tenebitur, priusquam antedictam absolutionem obtineat. Praeterea hujusmodi absolutiones cum reincidentia, a judice appellationis, etiamsi sit antedictus judex, committantur ipsis Ordinariis excommunicantibus, cum clausula, ut *intra tres dies* absolvant, censuratos; dummodo tamen excommunicati in eodem loco sint, ubi degunt Ordinarii. Quod si in eodem loco non sint, vel si Ordinarii praesentes, et requisiti, absolvere recusaverint, vel neglexerint, absolvantur a confessario juxta formam ejusdem commissionis, a judice appellationis, ut praefertur, expediendae. Ceterum commissiones praedictae de absolvendo, non ipsis Ordinariis immediate, et personaliter, sed eorumdem cancellariis praesentari debent, ut reverentia Episcopis debita, sarta tecta servetur, et a praesentatione, cancellario facta, praedicti *tres dies* numerari debeant. Cedulones autem, in casu absolutionis obtinendae ad certum tempus cum reincidentia, quatenus affixi fuerint, non amoveantur; sed

dumtaxat tegantur, tectique remaneant durante termino in absolutione praefixo, salva tamen praxi ibidem servata de corundem in nonnullis casibus amotione.

§. 16. *De appellatione a sententia definitiva in verum contumacem prolata.*

A sententia definitiva contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quaevis provisio, durante contumacia, concedatur.

§. 17. *De appellatione in causis criminalibus, et sententiis Ordinariorum.*

Ubi in causis criminalibus Ordinarii locorum processerint ex officio, si ab eorundem sententiis appellatio vel ad Metropolitanum, vel ad praedictum judicem interposita fuerit, tunc procuratores Fiscales Curiae Metropolitanae, vel tribunalis praefati Delegati, actoris vices gerant, et instantias, aliosque actus desuper necessarios, peragant, et prosequantur, ut praedictorum Ordinariorum sententiae confirmationem, et executionem, si ita fuerit justitiae consonum, obtineant. Quod si, dictis Procuratoribus Fiscalibus non citatis vel auditis, contrarias sententias in gradu appellationis proferri contigerit, istae prorsus nullae sint, ac irritae cum omnibus actis gestis; quinimmo praecedentes Ordinariorum sententiae executioni mandentur, perinde ac si appellatio ab ipsis interposita nullatenus fuisset.

§. 18. *De pauperibus litigantibus.*

Pauperibus litigantibus condonentur sportulae, et emolumenta quaecumque, etiam cancellario alioquin debita. Aliae itidem quaecumque expeditiones gratis dentur, ac etiam copiae publicorum instrumentorum, sive testamentorum, necnon regesta, et copiae actorum, transmittendorum ad judicem appellationis: et haec in causis tam civilibus, quam criminalibus. Quo vero ad probationem paupertatis, ea summariae fiat per testes, gratis similiter examinandos: et quoad ipsam paupertatem, stetur arbitrio judicis.

§. 19. *De causis criminalibus Regularium.*

In criminalibus causis Regularium, quando deliquerit intra claustra, Tridentini Concilii et peculiarium illius ordinis, quem quisque delinquens professus fuerit, constitutionum dispositio exacte servetur. Quod si delinquant extra claustra, vel extra Monasterium degant, ab Episcopis, juxta ejusdem Concilii Tridentini, et Apostolicarum Constitutionum praescriptum, judicentur, et puniantur. Qui vero ab Episcopi judicio gravamen sibi illatum putaverint, recursum habere poterunt ad antedictum Judicem, qui, ubi appellatio admittenda de jure fuerit, causae revisionem assumet. Quod si quis ab hujus etiam judicis sententia vel decreto se gravatum existimaverit, ea serventur, quae pro appellantibus a decreto judicis delegati, supra expositi sunt. Si vero Praelati exempti, alios Superiores in Regno Siciliae ultra Pharum non habentes, deliquerint, antedictus judex Ecclesiasticus, tanquam Ordinarius, respectu exemptorum,

contra eos, si juris fuerit, procedat, servata semper regula circa modum praescripta.

§. 20. *De Judicis Ecclesiastici facultatibus.*

Ne autem de facultatibus antedicti Judicis Ecclesiastici disputatio unquam oriri queat, constanter declaramus quod ille, uti supra, a Rege Siciliae ultra Pharum auctoritate Sedis Apostolicae nominatus, et delegatus, quascumque personas adversus sententias, res judicatas, ac contractus quoscumque prout juris fuerit, in integrum restituendi plenam et liberam licentiam et potestatem exercere possit, et debeat.

§. 21. *De juramentis.*

Juramenta quaecumque ad effectum agendi dumtaxat ex causa, quibuscumque relaxandi.

§. 22. *De absolutione a censuris.*

Quoscumque a quibusvis censuris, et poenis Ecclesiasticis, simpliciter vel ad cautelam, si, et postquam congrue, prout debuerint, tam partibus, quam judicibus, satisfecerint; firmis tamen manentibus, servatisque, respectivae, iis quae circa modum, et ordinem impertiendae absolutionis superius praescripta sunt, absolvendi.

§. 23. *De absolutione ab excommunicationibus ob varia crimina illatis.*

Quoscumque itidem qui homicidium, necnon perjurii reatum quomodocumque commiserint, quique bellis interfuerint, et qui adulterium, incestum, fornicationem, et aliud quodcumque flagitium carnis perpetraverint; necnon usurarios, facta tamen usurarum restitutione, ab excommunicationibus, aliisque sententiis, censuris, et poenis Ecclesiasticis, et temporalibus, quas quomodolibet incurrerint, injuncta cuique pro modo culpae poena salutari; et aliis, quae de jure fuerint injungenda, etiam in utroque foro absolvendi.

§. 24. *De censuris per Apostolicas constitutiones inflictis.*

Declaramus tamen, nec praedictum judicem Ecclesiasticum, nec quamcumque aliam Ecclesiasticam personam, cujuscumque gradus, dignitatis, et praeeminentiae sit, et quamvis de latere Legatus existat, potuisse aut posse aliquem absolvere a censuris Ecclesiasticis, per Apostolicas constitutiones inflictis, quarum absolutio soli Romano Pontifici reservatur. Et, licet hoc ipsum procedat etiam quoad illud genus absolutionis, quod cum reincidentia, et ad effectum agendi tantum, aut ad cautelam, dicitur, et quoad cognitionem, an declaratoria censurarum praedictarum valida fuerit, aut nulla, justa, vel injusta, cum haec quoque omnia Romano Pontifici pro tempore existenti, et Congregationi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Immunitati Ecclesiasticae, et con-

troversiis jurisdictionalibus praepositae, ad id a Sede Apostolica specialiter deputatae, privative quoad omnes alios, etiam de latere Legatos competat: attentis nihilhominus specialibus circumstantiis, animum nostrum moventibus, declaramus, quod praefatus judex Ecclesiasticus, tanquam a charissimo in Christo Filio nostro Carolo VI., Siciliae ultra Pharum Rege, ejusque in posterum successoribus, ut supra, deputatus, et delegatus, servatis de jure servandis, et citra quemcumque abusum, concedere possit recurrentibus a gravamine, quod in declaratoria censurarum Sedi Apostolicae reservatarum sibi illatum esse demonstraverint, absolutiones cum reincidentia, ad effectum agendi tantum, et etiam ad cautelam; necnon cognitionem assumere an praedictae censuratoriae censurarum sedi Apostolicae reservatarum promulgatae ab Episcopis, aut Archiepiscopis Regni Siciliae ultra Pharum fuerint validae, aut nullae, justae vel injustae; ita tamen ut, si solius nullitatis vitio laborare cognoverit, Episcopo vel Arhiepiscopo, qui ad earum declarationem respective processerint, mandet ut ex integro procedant, reservata post novam declaratoriam absolutione plenaria Sedi Apostolicae. Et quatenus nullitatis, et injustitiae vitio laborare cognoverit, declaret recurrentes non incurrisse: et si declaratoriam justam esse deprehenderit, recurrentes pro absolutione ad eandem Sedem Apostolicam remittat. Quod si praefatus judex delegatus ipse fuerit qui ad declaratorias processerit, et censuratus se gravatum fuisse praetenderit; aut ex capite nullitatis, aut nullitatis et injustitiae, aut solius tantum injustitiae; tunc ea observentur, quae supra statuta fuerunt in casu quo quis a sententia, aut ab alio quocumque

decreto ejudem judicis se gravatum senserit: novusque judex Ecclesiasticus ea omnia servare teneatur in casu recursus ad ipsum facti a nulla, vel injusta declaratoria censurarum, Sedi Apostolicae reservatarum quae ab Episcopis vel Archiepiscopis, respective, fuerint promulgatae.

§. 25. *De literis Monitorialibus.*

Praeterea quascumque monitoriales, poenalesque literas in forma significavit consueta, contra occultos, et iguotos malefactores, satisfacere; conscios vero revelare differentes, servata tamen forma Concilii Tridentini, necnon Constitutionis Pii Papae V. Praedecessoris nostri, super haec editae, concedendi.

§. 26. *De commutatione votorum, deque Matrimonialibus dispensationibus in tertio, et quarto gradu pro pauperibus tantum, et gratiis ex speciali facultate concedendis.*

Nec non vota quaecumque ultramarino tamen, visitationis liminum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum de Urbe, et Sancti Jacobi in Compostella, et castitatis ac religionis votis exceptis, in alia pietatis opera commutandi. Tum etiam nationis Siculae commoditati et utilitati prospicere volentes, eidem judici, uti supra, nominato, et delegato a Siciliae Rege ultra Pharum, facultatem specialem elargimur matrimoniales dispensationes concedendi in tertio, et quarto gradu; gratis tamen, nulloque recepto, vel minimo emolumento; et favore eorum tantum, qui vere pauperes sunt, et miserabiles, et labore manuum suarum vivunt.

§. 27. *De absolutione a censuris ad effectum praemissorum consequendum.*

Et ut concessiones, gratiae, et literae per antedictum judicem, sic, ut supra, concedendae, sublatis obstaculis, suum sortiantur effectum, quascumque personas, ad effectum dumtaxat omnium, et singulorum praemissorum consequendum, ab omnibus, et quibuscumque excommunicationibus, suspensionibus, et interdictis, aliisque Ecclesiasticis censuris, quibus innodati fuerint, absolvendi, et absolutas pronunciandi.

§. 28. *De causis in quibus agitur de executione literarum Apostolicarum.*

Pro majori tamen cautela, ea, quae infra sequuntur, declaramus, et decernimus; videlicet, non posse, nec debere praedictum judicem sese ingerere in causis, in quibus agitur de executione literarum Apostolicarum, etiam super collatione quorumcumque beneficiorum saecularium vel regularium, pro quorum executione certi sunt dati executores, quorum a decreto, seu data executione, si fuerit, quomodo reclamatum, et de illato gravamine, vel excessu dictum; tunc idem judex in hisce causis in omnibus, et per omnia, ut supra de aliis dictum, et declaratum est, procedat.

§. 29. *De subdelegatis a Judice Ecclesiastico deputandis.*

Deputare etiam non poterit subdelegatos, in dioecesibus praedicti Regni commorantes, multoque minus eis concedere exemptionem a jurisdictione suorum ordinariorum, praeterquam unum; qui tamen Ecclesiasticus sit, in quacumque Episcoporum residentia, et in praecipuis aliis Regni Civitatibus, ut sunt Drepanum, Termae, Mylae, et Mazara, seu Augusta; vulgo *Trapani*, *Termini*, *Melazzo*, *et Augusta*, nuncupatis.

§. 30. *De literis patentibus exemptionis.*

Praeterea nemini concedi poterunt literae patentes exemptionis a jurisdictione sui Ordinarii ex titulo inserviendi Curiae vel tribunali ipsius judicis delegati; exceptis tantum ministris, et officialibus necessariis: qui tamen in toto Regno non sint ultra quinquaginta, praeter eos, qui praecipuis primae, secundae, et tertiae instantiae ecclesiasticis Curiis Panormi inserviunt.

§. 31. *De disciplina, et observantia Regularium.*

Nullatenus quoque idem judex ecclesiasticus nec in prima istantia, nec in gradu appellationis aut recursus, aut per modum provisionis, sese ingerat in quomodolibet concernentibus disciplinam, et observantiam regularem personarum utriusque sexus; distributionem officiorum; collocationem regularium in uno aut altero Monasterio aut Conventu; ordinationes circa chorum, et allocutorium monialium, earumque

clausuram; designationes cellarum, aliaque similia; sed in his omnibus procedatur ab iis ad quos pertinet, juxta sacros Canones, statuta singulorum Ordinum, et Apostolicas Constitutiones.

§. 32. *De praesidibus capitulorum, et Superioribus, atque Officialibus in Monasteriis.*

Caveat similiter, ne deputet Praesides capitulorum, Superiores vel Abbatissas, Vicarias, vel qualescumque Officiales, in Monasteriis vel domibus regolarium utriusque sexus ex quocumque titulo vel colore, sive inconvenientium, sive dissidiorum, sive discrepantiae suffragiorum, etiam per viam actuum provisionalium; sed omnino liberae remaneant, juxta sacrorum Canonum praescriptum, et ipsorum Ordinum regularium statuta, electiones, et deputationes omnium Praelatorum, et officiorum.

§. 33. *De Magistris, praelectoribus, et rectoribus studiorum.*

Itidem nequeat, etiam per modum provisionis, deputare magistros, lectores, rectores studiorum, neque in possessione munerum, vel officiorum confirmare eos, qui, finito tempore, a constitutionibus suorum ordinum praescripto, debent illa dimittere, vel qui remoti a legitimis superioribus fuerint. In causis autem inter regulares, vere contentiosis, et in quibus esse potest de jure locus appellationi, expleto cursu judicii in unoquoque ordine regulari, a suis Constitutionibus praefinito, si succumbentes prosequi intendant, tunc causae ad praedictum judicem Ecclesiasti-

cum devolvantur, qui procedere teneatur, servatis in omnibus, et per omnia iis quae supra quoad alias causas statuta sunt, ita tamen, ut in causis nullitatis professionis tam ante, quam post elapsum quinquennii, nullo modo se interponat, sed illae ad normam omnino sacrorum Canonum, et Sacri Concilii Tridentini, sessione XXV, *de Regularibus* cap. XXIX cognoscantur, et terminentur.

§. 34. *De usu jurisdictionis Episcopis a Concilio Tridentino concessae.*

Ad hacc Delegatus non impediat usum jurisdictionis, a Sacro Concilio Tridentino Episcopis, uti Sedis Apostolicae Delegatis, in exemptos saeculares Clericos attributae; facultatem tamen habet idem judex Ecclesiasticus procedendi etiam in prima instantia in eorumdem clericorum saecularium exemptorum causis, tam civilibus, quam criminalibus, easdemque, juris ordine servato, cognoscendi, ac judicandi; et in casu appellationis a decretis vel sententiis ejusdem judicis delegati, in omnibus ea serventur quae supra hac de re statuta sunt.

§. 35. *De gravioribus Episcoporum causis.*

Quoad graviores Episcoporum et Archiepiscoporum causas, servetur omnino dispositio sacrarum Constitutionum, et Sacri Concilii Tridentini, sessione XXIV, cap. V. *de Reformatione.* In aliis vero minoribus, et civilibus causis, in quibus Episcopi, aut Archiepiscopi Regni Siciliae ultra Pharum, non actores, sed rei sunt, delegatus jus habet judicandi etiam in pri-

ma instantia, si causa sit Archiepiscopi vel Episcopi exempti a jurisdictione metropolitica (et signanter quoad omnes in causis solutionis pensionum) et in secunda tantum instantia, si causa sit Episcopi, juri Metropolitico subjecti. Tunc enim in prima instantia causa ab Archiepiscopo erit judicanda. In casu autem appellationis a judicio delegati, serventur omnia in superioribus disposita.

§. 36. *De officio Judicis Ecclesiastici erga mandata Apostolica.*

Denique, ut nos, nostrique successores Romani Pontifices, diligenter curabimus, ut supra disposita, ac statuta adamussim serventur, quae vim, et effectum habere concordiae statuimus, et decernimus, nec quidquam a nostris ministris sub quovis praetextu vel colore peragatur, quod eorumdem observantiam, et executionem retardare vel impedire possit; ita dictus judex Ecclesiasticus nullas sibi sumat partes, etiam per modum provisionis, vel sub alio quovis praetextu, contra ordinationes, et mandata, quae vel nostra, vel nostrorum pro tempore successorum, propria manu, per speciale rescriptum signata, et subscripta erunt: nec eorum executionem, quantum in ipsomet sit, audeat impedire vel retardare; sed eisdem debita reverentia, observantia, et executio omnino praestetur.

§. 37. *Clausulae.*

Decernentes, omnia, et singula, in superioribus expressa per nullum Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, aliosque alia auctoritate, dignitate, et

praeminentia fulgentes, impugnari unquam posse, aut debere, praesentesque semper, et perpetuo validas, ct efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, atque ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, sive spectabit, eas firmiter, et inviolabiliter observandas esse, nulloque unquam tempore notari, retractari, invalidari, inque jus, vel controversiam vocari posse; ipsasque praesentes sub quibuscumque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos ipsos, et successores nostros Romanos Pontifices factis, et faciendis, concessis, et concedendis, minime comprehendi; sed statuimus, easdem has literas, tamquam ad Ecelesiarum Siciliae tranquillitatem et pacem a nobis editas, semper omnino excipiendas; et quidquid secus super his, ut praefertur, per nos approbatis, a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, non obstantibus consuetudinibus, privilegiis, et indultis, quomodocumque in contrarium praemissorum alias concessis.

§. *38. Nemo has literas infringere debeat.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis; concordiae, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo octavo, tertio Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

II.

CONCORDATO

Tra Sua Santità Pio *VII. Sommo Pontefice*, *e Sua Maestà* Ferdinando *I.*, *Re del Regno delle due Sicilie* (a).

Art. 1° La Religione Cattolica Apostolica Romana è la sola Religione del Regno delle due Sicilie, e vi sarà sempre conservata con tutti i diritti e prerogative che le competono, secondo le ordinazioni di Dio, e le sanzioni Canoniche (1).

(a) Questo concordato fu pubblicato nel Regno col decreto del 21 marzo 1818. Restituiti noi, disse il nostro Re Ferdinando, col divino favore in questa parte de' nostri Reali domini, rivolgemmo i nostri primi sguardi sullo stato della nostra Sacrosanta Religione, e vedemmo il bisogno di dirigere tutte le nostre cure al riordinamento delle cose Ecclesiastiche, che durante la nostra assenza erano state nella calamità dei tempi neglette. A questa nostra sollecitudine ha corrisposto con tutta la purità del suo Evangelico zelo il Santissimo Sommo Pontefice Pio VII. Quindi è stato con la più viva alacrità del nostro animo felicemente conchiuso tra noi e la Santa Sede un solenne Concordato. Abbiamo quindi risoluto di sanzionare la presente legge.

Articolo 1. Tutti gli articoli del Concordato saranno puntualmente, e religiosamente di parola in parola osservati ed eseguiti in tutto il nostro Regno delle due Sicilie dal dì della pubblicazione della presente legge.

Art. 2. Nella pienezza del nostro Sovrano potere dichiariamo, che il presente Concordato è sostituito a tutte le leggi, ordinazioni, e Decreti emanati finora nel Regno delle due Sicilie sopra materie di Religione.

(1) Per la esecuzione di questo articolo, Sua Maestà ordinò nel Consiglio di Stato del dì 6 Settembre 1824 che gli Stranieri, i quali domandano essere naturalizzati sudditi della Maestà Sua,

2° In conformità dell'articolo precedente l'insegnamento nelle Regie Università, Collegi, e Scuole sì pubbliche, che private, dovrà in tutto essere conforme alla dottrina della medesima Religione Cattolica.

3° Riconosciutasi nella Convenzione del 1741 la necessità di venire alla unione di parecchi piccolissimi Vescovati, dove i Vescovi non possono mantenersi colla decenza dovuta, e questa unione, che allora non fu eseguita, essendo ora divenuta ancor più necessaria per la maggiore decadenza delle sudette ed altre mense, si farà nei dominî di quà dal Faro nel modo debito, e ricercato prima il consenso delle parti, che vi avranno interesse, una nuova circoscrizione di Diocesi. Nel determinarla si avrà riguardo al comodo dei Fedeli, ed in particolar modo al loro spirituale vantaggio. Tra le Sedi che o per troppa scarsezza di rendite, o per l'oscurità de'luoghi, o per altri ragionevoli motivi non potranno conservarsi, le più antiche e le più insigni si conserveranno come Concattedrali. Nei dominî poi di là dal Faro si conserveranno tutte le Sedi Arcivescovili e Vescovili, che attualmente vi esistono; e di più, affine di provvedere meglio al comodo e al vantaggio spirituale de'Fedeli, ne sarà accresciuto il numero.

I territorî di alcune Abbadie *Nullius Dioecesis*, sia per la loro picciolezza, sia per la perdita che ne hanno fatta, verranno di concerto uniti a quelle Diocesi, entro i cui confini si troveranno nella nuova circoscrizione.

---

debbano essere Cattolici; siccome col decreto de' 24 Marzo 1820 avea ordinato che la Chiesa e Confraternita de' Ss. Pietro e Paolo fosse istituita pel solo rito Greco Cattolico, e che non si potessero in essa trascrivere i Greci Scismatici.

Le Abbadie Concistoriali, le quali si ritrovano con la rendita al di là di cinquecento ducati annui, rimarranno senza essere aggregate. I fondi delle altre minori della rendita suddetta, quando non siano di giuspadronato, o si aggregheranno ad altre Abbadie ecclesiastiche fino alla indicata somma di ducati cinquecento, o ne sarà disposto in favore dei Capitoli e delle Parrocchie.

Questa disposizione non riguarda le Commende degli Ordini militari.

4° Ciascuna Mensa Vescovile del Regno non potrà avere una rendita minore di annui ducati tremila in beni stabili, libera dai pubblici pesi.

La Santità Sua, di concerto con Sua Maestà, assegnerà il più presto possibile tali dotazioni in favore di quei Vescovadi ai quali sarà applicabile la presente disposizione.

5° Ciascuna Chiesa, sia Arcivescovile, sia Vescovile, avrà il suo Capitolo, e Seminario, ai quali sarà conservata se sufficiente, o accresciuta, se mancante in parte, e se fosse necessario anche per intero assegnata una sufficiente dote in beni stabili. Ciascuna Dignità del Capitolo metropolitano di Napoli non avrà meno di cinquecento ducati di annua rendita, e gli altri canonicati non meno di ducati quattrocento.

Le Dignità dei Capitoli delle altre Chiese arcivescovili, e vescovili, che nella nuova circoscrizione verranno stabilite nella parte del Regno di quà dal Faro, non dovranno aver meno di ducati centottanta di annua rendita, i Canonicati non meno di ducati cento.

Questa disposizione non comprende i Canonicati di patronato Regio, ecclesiastico, e laicale, i quali si conserveranno nello stato in cui sono, a meno che dai rispettivi Patroni non se ne vogliano nelle debite forme aumentare le rendite.

I seminarî saranno regolati, e le loro rendite amministrate a tenore del Concilio di Trento.

6° Le rendite delle Chiese da unirsi si applicheranno a quelle Chiese, che nella nuova circoscrizione si conserveranno, meno che altri casi urgenti delle suddette Chiese da riunirsi richiedessero altra applicazione ecclesiastica da farsi coll'intervento dell' autorità della Santa Sede.

I Capitoli di quelle Chiese che nella nuova circoscrizione non saranno conservate, ricercato prima il consenso degl' interessati, saranno convertiti in Capitoli Collegiati, e la loro rendita rimarrà tal quale si trova nello stato presente.

7° Le Parrocchie le quali non hanno una sufficiente congrua, avranno un supplimento di dote in tale proporzioue, che le cure al di sotto di duemila anime non abbiano meno di ducati 100 annui; quelle al di sotto di 5000 anime, ducati 150; le altre finalmente di cinquemila anime in sopra non meno di ducati 200 annui.

Sarà a carico delle rispettive Comuni il mantenimento della Chiesa Parrocchiale, e del Sotto-Parroco, qualora non vi siano rendite addette a questo fine, e per la sicurezza se ne assegneranno i fondi, o tassa privilegiata nel pagamento.

Questo articolo non comprende le Chiese Parrocchiali di giuspatronato, regio, ecclesiastico, e laicale canonicamente acquistato, le quali saranno a carico de' rispettivi Patroni.

Neppure vi restano comprese le Chiese ricettizie siano numerate, siano innumerate, i Capitoli, e le Collegiate con cura di anime, avendo la loro congrua nella massa comune.

8° La collazione delle Abadie Concistoriali, che non sono di regio patronato, spetterà sempre alla Santa Sede, che le conferirà ad Ecclesiastici sudditi di Sua Maestà.

I Beneficj semplici di libera collazione, con fondazione, ed erezione in titolo ecclesiastico, saranno conferiti dalla Santa Sede, e dai Vescovi, secondo la distinzione dei mesi, nei quali la vacanza succede, cioè da Gennaro a Giugno dalla Santa Sede, e da Luglio al Dicembre dai Vescovi. La provvista sarà sempre in persone di sudditi di Sua Maestà.

9° Si rassegnerà sollecitamente al Santo Padre la nota delle Abadie, come si ritrova nella Curia del Cappellano maggiore, che sono di nomina di Sua Maestà, e la nota di quelle che non sono di regio patronato. Queste note potranno in seguito di concerto rettificarsi.

10° I Canonicati di libera collazione tanto dei Capitoli cattedrali, che dei Collegiati si conferiranno rispettivamente dalla Santa Sede, e dai Vescovi, cioè nei primi sei mesi dell'anno dalla Santa Sede, e nei secondi sei mesi dai Vescovi.

La prima dignità sarà sempre di libera collazione della Santa Sede.

11° La Santità Sua accorda ai Vescovi del Regno il diritto di conferire le Parrocchie che verranno a vacare in ogni tempo. Previo il concorso nelle Parrocchie di libera collazione, i Vescovi le conferiranno ai soggetti fra gli approvati che eglino giudicheranno i più degni. Nelle Parrocchie poi di giuspatronato Ecclesiastico, premesso pure il concorso, daranno l'istituzione a quelli che il patrono ecclesiastico presenterà come i più degni fra gli approvati dagli esamina-

tori. Finalmente nelle Parrocchie di giuspadronato regio, e laicale, il Vescovo istituirà il presentato, purchè nell'esame sia rinvenuto idoneo.

Si eccettuino le Parrocchie che vacheranno in Curia, o per promozione a qualche dignità ecclesiastica, o Canonicato conferito dalla Santa Sede, le quali saranno di collazione Pontificia.

12° Tutti i beni ecclesiastici non alienati dal governo militare, e che al ritorno di Sua Maestà si sono trovati nell'amministrazione del così detto Demanio, sono restituiti alla Chiesa.

Seguita la ratifica del presente Concordato, la massa degli anzidetti beni sarà interinamente amministrata da quattro sceltissimi soggetti, due de' quali verranno nominati da Sua Santità, e due dalla Maestà Sua, e questi dovranno fedelmente amministrarli, finchè non siano nel modo debito destinati ed applicati.

13° Essendo stata alienata sotto il Governo Militare nei dominî di qua dal Faro non poca parte dei beni appartenenti alla Chiesa, e la Maestà Sua, per opporsi con tutti gli sforzi possibili alla incursione nemica, essendo stata costretta anch'Essa tanto in Napoli, prima che seguita fosse l'invasione de' detti dominî, quanto di quelli di là dal Faro, onde impedire che fossero invasi, ad alienare una piccola quantità di fondi ecclesiastici, con avere assegnato ai possessori ecclesiastici nei suddetti dominî di là dal Faro per la dovuta indennizzazione altrettante rendite civili, quindi ad istanza della Maestà Sua, ed avuto riguardo alla pubblica tranquillità, che alla Religione sommamente importa di conservare, Sua Santità dichiara, che i possessori di tutti gli anzidetti beni non avranno alcuna molestia nè da Sè, nè dai Romani Pontefi-

ci suoi Successori, e che in conseguenza la proprietà degli stessi beni, le rendite, e i diritti a quelli annessi, saranno immutabili presso i medesimi, e quelli che hanno causa da loro.

14° Le attuali ristrette circostanze economiche del Patrimonio regolare non alienato, e trovato da Sua Maestà al suo ritorno nell'amministrazione del così detto Demanio, non permettendo di ripristinare tutte le Case religiose dell'uno e dell'altro sesso, le medesime verranno ripristinate in quel maggior numero che sarà compatibile coi mezzi di dotazione, e specialmente le Case di quegl'Istituti, che sono addetti alla istruzione della gioventù nella religione, e nelle lettere, alla cura degl'infermi, e alla predicazione.

I beni dei Regolari possidenti, non alienati, saranno con debita proporzione ripartiti fra i Conventi da riaprirsi, senza avére alcun riguardo ai titoli delle antiche proprietà, che in vigore del presente articolo tutti restano estinti.

I locali Religiosi non alienati, eccettuati quelli interamente addetti ad usi pubblici, se per mancanza di mezzi non potranno ripristinarsi, formeranno parte del Patrimonio regolare, ed essendovi l'utilità del detto Patrimonio, potranno anche alienarsi con la condizione che il prezzo che se ne ritrarrà debba surrogarsi in vantaggio del Patrimonio medesimo.

Si aumenterà il numero dei Conventi tuttavia esistenti dei Religiosi Osservanti, Riformati, Alcantarini, e Cappuccini, qualora le circostanze, ed il bisogno delle popolazioni lo richieggano.

Fissate le rendite, e le località già enunciate, sarà libera la vestizione dei Novizi degli Ordini Regolari possidenti, e delle Monache, in proporzione dei mez-

zi di sussistenza; come allo stesso modo sarà libera la vestizione dei Novizî per i Religiosi Mendicanti.

Le doti delle Fanciulle che si monacheranno, saranno impiegate in favore del Monastero, secondo le disposizioni Canoniche.

Tutti i Religiosi sì Mendicanti che Possidenti, che saranno ripristinati, egualmente che quelli che esistono, dipenderanno dai loro rispettivi Superiori Generali.

Ai Religiosi di quegli Ordini regolari possidenti che si riammetteranno nei Dominî di quà dal Faro, ottenendo l'indulto Apostolico di secolarizzazione, e non essendo provveduti di benefizio ecclesiastico, il Governo, per conto dell'Erario, a titolo di patrimonio, continuerà la pensione di cui ora godono, finchè siano provveduti di un corrispondente benefizio, o Cappellania. Ai Religiosi poi di quegl'Istituti che non potranno ripristinarsi, il Governo continuerà indistintamente il pagamento delle loro attuali pensioni.

15° La Chiesa avrà il diritto di acquistare nuovi possedimenti, e qualunque acquisto faccia di nuovo, sarà suo proprio, e goderà dello stesso diritto che le antiche fondazioni ecclesiastiche.

Questa facoltà s'intende da oggi innanzi, e senza che sia di pregiudizio agli effetti legali delle leggi di ammortizzazione, che sono state in vigore finora, e alla esecuzione delle suddette leggi anche in futuro per i casi non ancora consumati, e per le condizioni non ancora verificate.

Non potrà farsi soppressione alcuna, o unione delle Fondazioni ecclesiastiche senza l'intervento dell'Autorità della Sede Apostolica, salve le facoltà attribuite ai Vescovi dal Sacro Concilio Tridentino.

16° Le luttuose circostanze dei tempi non permet-

tendo che gli Ecclesiastici godano la esenzione dai pubblici pesi regî, e comunali, Sua Maestà promette di far cessare l'abuso nei passati tempi introdotto per cui gli Ecclesiastici, e i loro beni venivano più gravati dei Laici stessi; che anzi, nei momenti felici di maggiori risorse dello Stato, dal religioso Sovrano si supplirà con elargizioni in vantaggio del Clero.

17° Resterà soppresso il così detto Monte Frumentario, eretto in Napoli, o sia la regia Amministrazione degli Spogli, e delle rendite delle Mense Vescovili, Abbadie, ed altri benefizî vacanti.

Appena eseguita la nuova circoscrizione delle Diocesi, si stabiliranno invece, in ciascuna di esse, delle Amministrazioni Diocesane, composte da due Canonici, che il Capitolo, sia Metropolitano, sia Cattedrale, eleggerà, e rinnoverà di tre in tre anni per pluralità di voti, e da un regio Procuratore, che verrà nominato da Sua Maestà.

A ciascuna Amministrazione presiederà il Vescovo, o il di lui Vicario Generale, e nel tempo di Sede vacante il Vicario Capitolare.

L'Ordinario, e Sua Maestà per mezzo del suo regio Ministro, erogheranno di concerto i frutti percepiti dalle sopraddette vacanze a benefizio delle Chiese, degli Ospedali, dei Seminarî, in sussidî caritativi, ed in altri usi pii; sarà però riservata la metà delle rendite delle Mense Vescovili vacanti in favore del futuro Vescovo.

La risoluzione tuttora vigente di depositare nel sopraddetto Monte Frumentario la terza parte delle rendite dei Vescovati, e Benefizî, sotto il nome di *terzo pensionabile*, in forza del presente articolo, resta abrogata, e senza che per questo gli attuali pensionati

rimangono privi delle pensioni delle quali sono in possesso.

All'occasione delle provviste dei Vescovadi, e Benefizî di nomina regia, continuerà ad ammettersi la riserva delle pensioni secondo le forme Canoniche. I nominati da Sua Maestà a tali pensioni otterranno dalla Santa Sede le corrispondenti Bolle Apostoliche, con le quali saranno abilitati a percepirle vita loro naturale durante, rimanendo dopo la lor morte libero da tal peso il Vescovado o Benefizio, a carico del quale erano state riservate.

18° Sua Santità sopra alcuni Vescovadi, ed Abbadie del Regno, che verranno stabilite, si riserva in *perpetuum* dodicimila ducati annui di pensioni, delle quali il Romano Pontefice *pro tempore* disporrà a suo piacimento in benefizio dei suoi sudditi dello Stato Ecclesiastico.

19° I Benefizî, ed Abbadie situate nel Regno delle due Sicilie, i cui frutti, o in parte, o in tutto si trovano applicati a persone ecclesiastiche, ed a varie Chiese, Collegî, Monasteri, e Pie Case di Roma, e di altri paesi dello Stato Ecclesiastico, dovranno continuare ad essere applicati per lo stesso uso. Questa disposizione non comprende i Benefici, ed Abbadie di regio Patronato, nè quelli i cui beni sono alienati.

20° Gli Arcivescovi ed i Vescovi saranno liberi nell' esercizio del loro Pastorale Ministero secondo i Sacri Canoni.

Riconosceranno nel loro Forò le cause Ecclesiastiche, e principalmente le cause Matrimoniali, che giusta il *Canone 12.*, *Sess. 24.* del Sacro Concilio Tridentino spettano ai Giudici Ecclesiastici, e porteranno su di esse sentenza. Non sono comprese in questa

disposizione le cause civili de' Chierici, come per esempio, quelle di contratti, debiti, eredità, le quali saranno conosciute, e definite dai Giudici Laici.

Castigheranno con le pene stabilite dal Sacro Concilio di Trento, o altre che giudicheranno opportune, i Chierici degni di riprensione, o che non portino l'abito Chiericale conveniente alla loro dignità, o al loro ordine, salvo il ricorso; e li rinchiuderanno nei Seminarî, o nelle Case de' Regolari. Procederanno eziandìo con le censure contro qualunque tra i Fedeli che sia trasgressore delle leggi Ecclesiastiche, e dei Sacri Canoni.

Non saranno impediti dal fare le sacre Visite delle rispettive loro Diocesi, e *ad limina Apostolorum*, e dal convocare i Concilî Diocesani.

Ai medesimi Arcivescovi, e Vescovi sarà libero di comunicare col Clero, e col Popolo Diocesano per dovere dell' officio Pastorale, pubblicare liberamente le loro istruzioni sulle cose ecclesiastiche, ordinare, ed intimare le preghiere pubbliche, ed altre pie pratiche, quando lo richiederà il bene della Chiesa, o dello Stato, o del Popolo.

Le cause maggiori spetteranno al Sommo Pontefice.

21° Gli Arcivescovi, e i Vescovi promoveranno ai sacri ordini, previo il prescritto esame, e quando siano provveduti del debito Patrimonio, o di altro titolo Canonico, quei Chierici che giudicheranno necessarî, o utili alle loro Diocesi, con le cautele però, e prescrizioni contenute nel Decreto del 1 Luglio 1623 della Santa Memoria di Gregorio XV, e nel Concordato Benedettino, Capitolo 4., che ha per titolo *Requisiti dei Promovendi*, le quali cautele e prescrizioni non sono derogate col presente Concordato.

Essendo necessario di provvedere al sufficiente sostentamento di ciascun Ecclesiastico, che nei presenti tempi esige maggiori mezzi, gli Arcivescovi, e i Vescovi da ora in poi aumenteranno la tassa del sacro Patrimonio per gli Ordinandi, da costituirsi in beni fondi, la quale non potrà essere nè in minor somma di ducati cinquanta, nè maggiore di ottanta.

La esperienza avendo dimostrato che nel Regno accade frequentemente che nel costituire i Patrimonî sacri si fanno degli assegni fraudolenti, o simulati, o non liberi da ipoteche od altri vincoli, per cui gli Ordinati a titolo di tali Patrimonî si trovano poi sprovveduti, e mancanti di sussistenza, ad evitare quindi questo abuso, dovrà per la verità del fatto, costare in forma legale della pertinenza, e della esenzione da ogni vincolo d'ipoteca del fondo, o fondi, che dall'Ordinando si costituiscono in Patrimonio Sacro; al quale effetto le Curie Ecclesiastiche richiederanno il documento della pertinenza e libertà del fondo al Tribunale Civile della Provincia, il quale non potrà ricusarlo.

I promovendi ai sacri Ordini a titolo di Beneficio, o Cappellania, per essere ordinati dovranno costituirsi un supplimento certo fino all'ammontare della tassa Diocesana, come sopra, quando il frutto di detto Beneficio, o Cappellania fosse minore di detta tassa.

Questa disposizione non comprende le Diocesi nelle quali già fosse stata canonicamente stabilita una tassa patrimoniale maggiore, a riguardo delle quali non avrà luogo alcun cambiamento.

22° Sarà libero l'appellare alla Santa Sede.

23° La comunicazione con la Santa Sede dei Vescovi, Clero, e Popolo su tutte le materie spirituali, e gli

oggetti Ecclesiastici, sarà pienamente libera, e per conseguenza le Circolari, Leggi, e Decreti del *liceat scribere* sono rivocati.

24° Ogni qualvolta gli Arcivescovi ed i Vescovi nei libri introdotti, o che s' introducono, stampati, o che si stampano nel Regno, troveranno qualche cosa contraria alla dottrina della Chiesa, ed ai buoni costumi, il Governo non ne permetterà la divulgazione.

25° Sua Maestà sopprime la carica di Regio Delegato della Giurisdizione Ecclesiastica.

26° La Curia del Cappellano Maggiore, e la sua giurisdizione, si conterrà nei limiti della Costituzione di Benedetto XIV, che comincia *convenit*, e del susseguente *Motu proprio* dello stesso Pontefice sul medesimo oggetto.

27° La proprietà della Chiesa sarà sacra ed inviolabile nei suoi possessi, ed acquisti.

28° In considerazione della utilità che dal presente Concordato ridonda alla Religione ed alla Chiesa, e per dare un attestato di particolare affezione alla Persona di Sua Maestà il Re Ferdinando, Sua Santità accorda in perpetuo a Lui e ai suoi discendenti successori cattolici al Trono l'indulto di nominare degni e idonei Ecclesiastici, forniti delle qualità richieste dai Sacri Canoni, a tutti quei Vescovadi e Arcivescovadi del Regno delle due Sicilie, per i quali Sua Maestà finora non godeva del diritto della nomina; e a tal effetto, tostochè siano seguite le ratifiche del presente Concordato, Sua Santità farà spedire la Bolla d'indulto.

Sua Maestà manifesterà in tempo debito a Sua Santità i Nominati, affinchè a tenore dei Canoni, si facciano i processi, ed ottengano la istituzione Canonica nei modi e forme praticate finora. Prima però che l' ab-

biano avuta, non potranno in verun modo intromettersi nel governo, ossia nell' amministrazione delle rispettive Chiese, alle quali sono nominati.

29° Gli Arcivescovi ed i Vescovi faranno alla presenza di sua Maestà il giuramento di fedeltà, espresso con le seguenti parole. — *Io giuro, e prometto sopra i Santi Evangeli obbedienza e fedeltà alla Reale Maestà; parimente prometto, che io non avrò alcuna comunicazione, nè interverrò ad alcuna adunanza, nè conserverò dentro o fuori del Regno alcuna sospetta unione, che nuoca alla pubblica tranquillità; e se tanto nella mia Diocesi, che altrove saprò che alcuna cosa si tratti in danno dello Stato, lo manifesterò a Sua Maestà.*

30° Quanto agli altri oggetti ecclesiastici, dei quali non è stata fatta menzione nei presenti articoli, le cose saranno regolate a tenore della vegliante disciplina della Chiesa, e sopravvenendo qualche difficoltà, il Santo Padre, e Sua Maestà si riservano concertarsi fra loro.

31° Il presente Concordato è sostituito a tutte le leggi, ordinazioni, e decreti emanati finora nel Regno delle due Sicilie sopra materie di Religione.

32° Essendosi rappresentato a Sua Santità per mezzo della M. S., che attese le attuali necessità delle Chiese del Regno di quà del Faro, e gli effetti prodotti dalla nemica invasione, la convenzione del 1741 non è più sufficiente a provvedere ai mali che richieggono un indispensabile riparo, e che altresì la parte dei Dominî di là del Faro, che la convenzione suddetta non abbracciò, è pure bisognosa di provvidenze: e che d'altronde essendosi dei Dominî di quà e di là del Faro fatto ora un Regno solo, conviene fissare

una regola uniforme da osservarsi egualmente nelle Chiese di amendue i suddetti Dominî, resta convenuto che il presente Concordato è sostituito al precedente.

33° Ognuna delle alte Parti contraenti promette in suo nome, ed in quello dei suoi Successori di osservare esattamente tutto ciò che si è convenuto in questi articoli.

34° Le ratifiche del presente Concordato saranno cambiate in Roma, non oltre lo spazio di quindici giorni dalla data del presente.

35° Seguita la ratifica del presente Concordato, si commetterà l'esecuzione del medesimo a due sceltissimi soggetti, uno da nominarsi da Sua Santità, e l'altro dalla M. S., i quali saranno muniti dalle rispettive parti Contraenti delle opportune facoltà.

In fede di che, i suddetti Plenipotenziarî hanno sottoscritto il presente Concordato, e vi hanno apposto il loro suggello.

Fatto in Terracina il giorno sedici Febbrajo dell'anno mille ottocento diciotto.

Loco ✠ *Sigilli Ercules Card. Consalvi.*
Loco ✠ *Sigilli Cav. Luigi De Medici.*

III.

Cinque articoli della convenzione tra Sua Santità il Papa GREGORIO *XVI, e sua Maestà* FERDINANDO *II., Re del Regno delle due Sicilie, de' 16 Aprile 1834, pubblicata nel Regno a dì 10 Settembre 1839.*

ART. 1° In avvenire gli Ecclesiastici o i Religiosi non saranno più condotti sia in una casa di arresto, sia in una prigione, che in tempo di notte, o in legno, e coperti di mantello per nascondere agli occhi del pubblico il loro abito ecclesiastico.

ART. 2° Gli Ecclesiastici saranno detenuti in prigioni particolari per quanto lo permetteranno le località, ed i condannati saranno chiusi in un Ergastolo destitinato a riceverli.

ART. 3° Non si faranno mai arresti nelle Chiese durante il servizio divino, nè senza prevenirne il Curato, il Priore, in una parola il Superiore della Chiesa, nella quale si fosse rifuggiata la persona colpevole.

ART. 4° Ogni Vescovo può avere nel suo Episcopio una prigione o Camera di correzione per gli Ecclesiastici che crederà di dover fare arrestare e punire.

ART. 5° Il Governo non domanderà ai Vescovi la degradazione di un Ecclesiastico condannato a morte senza prima comunicar loro la sentenza di condanna, in cui devono esser riferiti tutt'i documenti del processo che comprovano il reato. Non trovando i Vescovi osservazione a fare su tali elementi, verranno, senza ritardare inutilmente il corso della giustizia, all' atto di degradazione, invocando in favore del paziente la commiserazione del Sovrano, giusta i dettami del loro

istituto. Quante volte poi ritrovassero nel processo gravi motivi in favore del condannato, li rassegneranno a Sua Maestà. I rilievi fatti dal Vescovo, unitamente ai documenti, che ha avuti presenti, saranno d'ordine di Sua Maestà rimessi alla discussione di una Commissione composta di tre Vescovi con facoltà Apostolica, approvati da Sua Santità, sulla proposta del Re del doppio del numero bisognevole, e di due Assessori laici con voto consultivo, la quale deciderà inappellabilmente sui rilievi suddetti. Se la Commissione troverà mal fondate le ragioni addotte dal Vescovo, ne avvertirà subito il medesimo perchè proceda senz' altra replica ed esitazione all' atto della degradazione, e ne farà nel tempo medesimo prevenzione al Governo per sua intelligenza. Qualora poi la Commissione troverà fondati i rilievi fatti dal Vescovo, ne rassegnerà motivato rapporto a Sua Maestà, raccomandando il condannato alla Clemenza Sovrana.

IV.

REGULAE JURIS

EX

GREGORIO IX, ET BONIFACIO VIII.

1. Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur.

2. Facta, quae dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.

3. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

4. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.

5. Quod latenter, aut per vim, aut alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

6. In ipso causae initio non est quaestionibus inchoandum.

7. Quidquid in sacratis Deo rebus, et episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputatur.

8. Qui ex timore facit praeceptum, aliter quam debet facit et ideo jam non facit.

9. Offendens in uno factus est omnium reus.

10. Non potest esse pastoris excusatio si lupus oves comedit, et pastor nescit.

11. Indignum est ut pro spiritualibus facere quis omagium compellatur.

1. Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.

2. Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.

3. Sine possessione praescriptio non procedit.

4. Peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum.

5. Peccati venia non datur nisi correcto.

6. Nemo potest ad impossibile obligari.

7. Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.

8. Semel malus semper praesumitur esse malus.

9. Ratum quis habere non potest quod ipsius nomine non est gestum.

10. Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.

11. Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.

12. In judiciis non est acceptio personarum habenda.

13. Ignorantia facti, non juris excusat.

14. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiae causam censetur habere.

15. Odia restringi, et favores convenit ampliari.

16. Decet concessum a principe beneficium esse mansurum.

17. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.

18. Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.

19. Non est sine culpa qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet.

20. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

21. Quod semel placuit amplius displicere non potest.

22. Non debet aliquis alterius odio praegravari.

23. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

24. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.

25. Mora sua cuilibet est nociva.

26. Ea, quae fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.

27. Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus.

28. Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentia sunt trahenda.

29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

30. In obscuris minimum est sequendum.

31. Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

32. Non licet actori quod reo licitum non existit.

33. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

34. Generi per speciem derogatur.

35. Plus semper in se continet quod est minus.

36. Pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.

37. Utile non debet per inutile vitiari.

38. Ex eo non debet quis fructum consequi quod nisus extitit impugnare.

39. Pluralis locutio duorum numero est contenta.

40. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.

41. Accessorium naturam sequi congruit principalis.

42. Qui tacet consentire videtur.

43. Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.

44. Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

45. Is qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

46. Praesumitur ignorantia ubi scientia non probatur.

47. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, aut jactura.

48. In poenis benignior est interpretatio facienda.

49. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

50. Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.

51. Non praestat impedimentum quod de jure non sortitur effectum.

52. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

53. Qui prior est tempore, potior est jure.

54. Qui sentit onus sentire debet commodum, et e contra.

55. In re communi potior est conditio possidentis.

56. Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.

57. Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.

58. Dolo facit qui petit quod restituere oportet eumdem.

59. Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.

60. Quod ob gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorquendum.

61. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

62. Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

63. Quae contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi.

64. In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.

65. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.

66. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

67. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.

68. In malis promissis fidem non expedit observari.

69. In alternativis electoris (debitoris) est electio, et sufficit alterum adimpleri.

70. Qui ad agendum admittitur est ad recipiendum multo magis admittendus.

71. Qui facit per alium est perinde ac si faciat per se ipsum.

72. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.

73. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

74. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam serbare recusat.

75. Delictum personae non debet in detrimentum ecclesiae redundare.

76. Rationi congruit ut succedat in onere qui substituitur in honore.

77. In argumentum trahi nequeunt quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.

78. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

79. In toto partem non est dubium contineri.

80. In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

81. Qui contra jura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere.

82. Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur.

83. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

84. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

85. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

86. Infamibus portae non pateant dignitatum.

87. Certum est quod is committit in legem qui, legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

FINIS.

INDEX

EXERCITATIO ISAGOGICA.

CAPUT I. De Jure Canonico in genere, ejusque fontibus. pag. 1
—— II. De collectionibus Juris Canonici, ac primum de orientalibus......» 6
—— III. De collectionibus occidentalibus......» 12

LIBER PRIMUS — PARS PRIMA.

CAPUT I. De Ecclesiae natura ac potestate......» 38
—— II. De Ecclesiae membris, proprietatibus, ac notis...» 47
—— III. De multiplici jure, ex quo constat jus Canonicum, ejusque variis speciebus......» 54
—— IV. De promulgatione legum Ecclesiasticarum, necnon de regio placito......» 64
—— V. De interpretatione, abrogatione, et derogatione canonum......» 69

LIBER PRIMUS — PARS ALTERA.

CAPUT I. De diversis Christianorum ordinibus......» 73
—— II. De Romano Pontifice......» 78
—— III. De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus.....» 84
—— IV. De legatis, et Vicariis Pontificiis......» 85
—— V. De Patriarchis, Primatibus, et Metropolitanis....» 88
—— VI. De Episcopis......» 94
—— VII. De Episcopalibus muneribus......» 99
—— VIII. De Episcoporum electione, confirmatione, et consecratione......» 105
—— IX. De Episcoporum translatione, renunciatione, et depositione......» 114
—— X. De coadjutoribus, et Chorepiscopis......» 117
—— XI. De Presbyteris, Archipresbyteris, Parochis, et Vicariis......» 119
—— XII. De Diaconis, Archidiaconis, ceterisque sacris Ministris......» 122
—— XIII. De Sacris Ordinationibus......» 125
—— XIV. De irregularitate......» 129
—— XV. De Vita, atque honestate Clericorum......» 132
—— XVI. De Clericorum coelibi vita......» 233
—— XVII. De Canonicis......» 135
—— XVIII. De Monachis......» 140
—— XIX. De Monachorum statu, Monasteriorum extructione, destructione, et exemptione......» 142
—— XX. De probatione, et professione Monachorum.....» 146

LIBER II. — PARS PRIMA.

De rebus sacris........................» 150
Caput I. De Sacramentis........................» ivi
— II. De Ecclesiis........................» 164
— III. De Asylo........................» 166
— IV. De Sepulturis........................» 168
— V. De Hospitalibus........................» 170

LIBER II. — PARS ALTERA.

De terrenis Ecclesiae bonis........................» 173
Caput I. De oblationibus, et decimis........................» 174
— II. De bonis immobilibus Ecclesiae........................» 179
— III. De rerum Ecclesiasticarum administratione........» 181
— IV. De multiplici beneficiorum genere........................» 185
— V. De beneficiorum distributoribus........................» 188
— VI. De collationibus Romani Pontificis........................» 191
— VII. De jure Patronatus........................» 196
— VIII. Beneficia ecclesiastica dignioribus sunt conferenda........................» 201
— IX. De beneficiorum unione........................» 202
— X. De beneficiorum renunciationibus, et permutationibus........................» 204
— XI. De beneficiorum pluralitate........................» 206
— XII. De pensionibus Ecclesiasticis, et Annatis........» 209
— XIII. De rebus Ecclesiae non alienandis........................» 211
— XIV. De peculio Clericorum........................» 213
— XV. De Ecclesiasticorum, eorumque bonorum immunitate........................» 217

LIBER III.

De Ecclesiasticis judiciis........................» 225
Caput I. De jurisdictione Ecclesiastica........................» 226
— II. De jurisdictione Ecclesiastica in causis tum civilibus, tum criminalibus........................» 228
— III. De foro competenti........................» 235
— IV. De judicibus ordinariis, et delegatis........................» 240
— V. De arbitris........................» 244
— VI. De judiciorum ordine........................» 245
— VII. De criminibus Ecclesiasticis........................» 257
— VIII. De poenis, et censuris Ecclesiasticis........................» 267
Appendix I. Bulla Benedicti Papae XIII........................» 277
— II. Concordato tra Sua Santità Pio VII. Sommo Pontefice, e Sua Maestà Ferdinando I., Re del Regno delle due Sicilie........................» 300
— III. Cinque articoli della convenzione tra sua Santità il Papa Greg. XVI. e S.M. Ferdinando II. Re del Regno delle due Sicilie de'16 Apr.1834, pubblicata a dì 10 Sett.1839.» 315
— IV. Regulae Juris ex Gregorio IX., et Bonifacio VIII.» 317